VALENTINI GUILIELMI FORSTERI JCti.





Paratitla

In

Τὰ πρῶτα


Seu

Quatuor libros priores Pandectarum.

Annexæ sunt Disputationes aliquot, de materijs huc pertinentibus, ab Authore conscriptæ, & publicè habitæ.

In

Academiâ VVitebergensi, & Juliâ Helmesteti.



VVITEBERGÆ.

Sumtibus Clementis Bergeri; Ex, VVolffgangi Meisneri, typographeo.

Anno M. DC. IIX.



Magnifico, Strenuo, Nobilissimoq; Viro.

DN. CASPARI

à Schönberg in Polßniß/&c.

Electorali Saxonico Consiliario intimo, in suprema Appellationis Curia, præsidi dignissimo &c.

Nec non

Clarissimo, Consultissimo, Excellentissimoq; Viro,

DN. LUDOVICO

Guilielmo Mosero, Electorali Saxonico Consiliario, Secretiori

Dominis fautoribus, & patronis honorandis.

S. P. D.

Valentinus Guilielmus Forsterus J. U. D.

Nni nunc o-
cto decurrunt, vos ô
bina ſereniſsimi Prin-
cipis corcula & oculi, quando cu-
pidæ legum cohorti, prælege-
bam, in Academia VVitebergenſi,
τὰ πρῶτα Pandectarum, & aliquam
in judicijs partem; explicans ni-
mirum ordine ſingulas leges, per
dubitandi, decidendiq́; rationes,
conferens ad minimum exem-
plaria quinq́; Manuſcr. & impreſ-
ſa, inhærens veſtigijs potiſsimum
Donelli, Cujacij, Hotomani, & a-
liorum Neothericorum; admi-
ſcens tamen etiam practica quæ-
dam, ex Bartolo, Jaſone, cæterisq́;.
Eas commentationes relectas,
auctas & emendatas, juſſu paren-
tis mei Valentini Förſteri JCti,
olim

olim in Academiâ Marpurgensi & Heidelbergensi, nunc in illustri JULIA Helmesteti antecessoris Ordinarij, ac Senioris, nec non multorum Clarissimorum virorum hortatu, & Commilitonum precibus, illectus, typis committere, & juris publici facere decrevi. Cæterum, ut in vastissimo maris gurgite rectiùs versari possent, per indices (ut loquitur Justinianus) & titulornm subtilitatem (quæ παράτιτλα nuncupantur) ad monitoria juris, quod in ea parte continetur, feci. Ea nunc operi futuro censui præmittenda, cum aliquot disputationibus ad eam rem, hic & Helmsteti publicè habitis. Equidem adjungere poteram, & unam de tribus præceptis juris; & alteram ad mate-

riam Transactionum; & alias quasdam publicas; nec non aliquammultas, labore non nullo ſcriptas: ſed quod illas ipſe non concepiſſem, has privatim defendiſſem, intermiſi.

Vobis autem, Viri Magnifici, Nobiliſsimi, Clariſsimi, præſens opuſculum, do, dico, dedico; tum uti vos mihi benevolos magis faciam & faventes; tum, ut & gratitudinis, & amoris in vos, meum extet aliquod monimentum, ſed & ideò etiam ut vos defenſores & liber hic & author adverſus calumniatores habeant. Accipite, quæſo, munuſculum levidenſe, ſereno vultu; & mihi meiſq; ſtudijs benè favete.

Neq; enim cuiquam tam clarum ingenium eſt, ut poſsit emerge-

mergere, nisi illi materia, occasio, FAUTOR etiam COMMENDATORQUE contingat, ait Plinius: & Seneca, Nemo, inquit, per se satis valet, ut emergat; oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. Favete promotores optimi, & benè mihi cupite, Valete. Dabantur VVitebergæ è Musæo meo M. Febr. Anno 1608.



AD CLARISSIMUM ET CONSULTISSIMUM VIRUM DN. VALENTINUM GUILIELMUM FORSTERUM, J. U. D. Juridicæ Facultatis in celeberrima VVitebergensium Academia Adjunctum, & Judicij Electoralis Curiæ Advocatum;

Affinem & compatrem meum multis nominibus honorandum;

Paratitla juris in τὰ πρῶτα Pandectarum, studiosæ Legum juventuti publicè edentem.

Mî Forstere tibi haud minùs profectò
Debent, qui Themidos foventur arte,
Quàm olim Roma suo potens Camillo

Custo-

Custodi patriæ: perennis unde
Heróo & celebris fuit per omnes
Gentes fama viro; suosq́; cursus
Si servat solitos decus refulgens,
Crescet; nec minùs in dies labore
Crescet fama tuo, tuumq́; in omnes
Scholas jam variæ viæ reportant
Nomen; jam & manibus cupit libellum,
Et summæ juvat eruditionis
Contrectare suis libido quemq;:
Mirantur siquidem ingenî lepores,
Ac dotes animi severioris.
Mæandros etenim strophasq́; legum,
Et nodos duplices diserte, nemo
Te uno doctiùs explicavit unquam.

Ferdinandus Starck / J. U. Licentiatus.

Clarissimo, Excellentissimo & Consultissimo Viro DN. VALENTINO GUILIELMO Förstero U. J. D. Facultatis, quæ VVitebergæ est, juridicæ Adjuncto, nec non Curiæ Electoralis Saxonicæ Advocato, Domino Mecænati & Evergetæ suo uti singulari, ita omni observantiæ studio quàm plurimùm diligentissimeq; colendo,

ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν

ACriter magnum Colophon Homerum
Asserit civem: repetunt Athenæ:
Et suum clamant Salaminq;, Iosq;,
Smyrna Rhodusq́;:
Acriùs sed te Themidis cohortes,
Magna Försteri soboles celebris
Vendicant totum sibi, vendicantq;
Turba reorum.
Vrbium nam tot radiis nitere
Qualibet tantùm voluit Poëta:
Excitat virtus reliquos, movet spes
Vtilitatis.

Ecce,

Ecce, noverunt dubij clientes
Nec tibi linguam precio solutam,
Rhetoris fictâ stomachum nec unquam
Arte ligatum.

Servij nec te vicio gravatum
Nescientis jus quod erat tuendum:
Sed tenacem justi, apicesq́; juris
Solvere gnarum.

Vidit, & claro meritum trabali
Astrææ fixit populus, virûm tot
Tam levi nactos, duce te, labore
Iuris honores.

Dißitas longè penetravit oras
Candor, & promptum studium juvandi:
Hinc amor tantus, cupidûm tuiq́;
Copia tanta.


At catus demis gravioris ansam
Litis: & quantum potis es reorum
Exigis justum, gravitate frangi
Nescius ulla:

Et nova rursus studium juventæ
Arte promotum cupiens libellum
Prodromum donas, iter atq́; longum
Pollice monstras;

Dum

Dum refers magnam brevitate, dextra
Copiam legum, tituloſq; acutè
Conjicis, nullo ſciat ut labore
Quisq; Synopſin.
Quis queri de te ratione poſſit?
Promoves partes utriusq; partis:
Debeas utri faveasve plus, non
Quæro: ſed opto,
Serus accedas ſuperis, diuq;
Commodes legum cupidæ cohorti:
Sera te turbæ rapiat gementum
Aura clientum

Mauritius Barnwaldt
Hannovera-Saxo.



Errata

Errata in interpunctione commissa cuivis corrigenda committuntur; sequentia verò opus habent correctione.

Pag.16.lin.13. omissa particula DEO.
pag.18.lin.19. omissus est titulus, qui locus sic suppleatur. *l. 3. De offic. præsid.*
pag.19.lin.pen.pro atit substitue autem et.
pag. 26. lin. 11. pro *abdicendo,* lege *abdicando.* lin.21. lege *sed.*
pag.28. lin.9. sic leg. *l.1.in pr.& §.1.*
pag.40.ad tit.10. pro *caveat* lege *caverat.*
pag. 55.lin.20. lege *Procurator.*
pag.61.lin.7.lege *idem molitur.*
pag.63.lin.2.post vocabulum *in* adde *aliquot.*
pag.66.lin.19.pro *hujus* lege *hoc.*
pag.67.lin.25.post particulam *quam* adde *Est.*
pag.72. lin. 3. post verbum *restituitur* pone *teneantur.*
pag.88.th.12.lin.2.pro *discernar* lege *discernat.*
pag.106.lin.7.post vocem *ætatis,* supple particulam *vel.*
pag.112.th.71.post *quibus* adde *quis.*





DIGESTORUM SEU PANDECTARUM.

LIBER PRIMUS.

Titulus I.

De Justicia & Jure.

Paratitla.



IUs pluribus modis accipitur. *l. pen. & ult. de just. & jur.* Don. *1. comm. 3.* Coras. *1. de juris arte c. 12. & in l. pen. h. t.*

Pro jure Romano quando sumitur, à justicia appellatur, & definitur Ars æqui & boni *l. 1. in pr.*

Estq; ratione objecti, vel publicum vel privatum. Versatur enim vel circa statum Reipublicæ Romanæ, vel circa privatorum & singulorum utilitatem *l. 1. §. 2. De just. & jur.*

Ratione partium integrantium, est vel naturale vel civile *l. 9. h. t.*

 Natu-

Naturale vel omnium animalium commune, de quo *l. 1. §. 3.* vel hominum ſive gentium proprium. *de quo l. 1. §. 4.*

Jus gentium vel primarium, *de quo l. 2. & 3.* vel ſecundarium, *de quo l. 4. & 5.*

Civile vel ſcriptum, vel non ſcriptum *l. 6.*

Scriptum vel civile in ſpecie ſic dictum, quatenus opponitur prætorio, *de quo l. 7. in pr.* vel prætorium, de quo *l. 7. §. 1. & l. ſeq.*

Finis autem hujus juris eſt, juſticia, *de quâ l. 10. in pr. Cic. 1. de Orat.*

Principia, ſive præcepta ac normæ, unde ſcias, An jus noſtrum ſit jus? proponuntur *in d. l. 10. §. 1.*

Prudentia vero ſeu πρᾶξις juris, & exercitatio *in §. fin.* ejuſdem *legis antepenult. habetur.*

Ad titulum II.

De origine juris.

Paratitla.

PArtibus juris abſolutis in præcedenti titulo perſeverans in expoſitione juris Romani Tribonianus hoc titulo originem illius, omniumq; magiſtratuum, & ſucceſſionem prudentium perſequitur. Facturus enim legum vetuſtarum interpretationem, neceſſariò prius ab urbis initijs repetere debet *l. 1. ff. h. t.* Neceſſarium itaq; Triboniano quoq; viſum

ſum eſt, ipſius juris originem primum demonſtrare; quod facit usq; *ad* §. 13.

Demonſtrat autem ab initio civitatis populum ſine lege certâ fuiſſe, omniaq; manu regiâ gubernata §. *& quidem* 1. Deindè cùm aucta civitas ad aliquem modum eſſet, regi jam cæpiſſe populum jure aliquo, & primò quidem legibus regijs. §. 2. Poſtea exactis regibus conſvetudine, & iterum incerto magis jure uſum fuiſſe ex lege Tribunitia. §. 3. Tum mutato ſtatu gubernari cæpiſſe primò legibus XII. Tabularum §. 4. Deindè jure civili, quod ſine ſcripto veniebat, & diſputationes prudẽtium continebat. §. 5. Hinc legis actionibus. §. 6. *&* 7. Deinde plebiscitis §. 8. Deindè Senatusconſultis §. 9. Tum magiſtratuum edictis, ſeu jure honorario. §. 10. Et tandem principum placitis. §. 11. Hæc omnia recolliguntur, & in unum quaſi faſciculum colligantur *in* §. 12.

Poſt originem juris, & proceſſum cognitum in altera ſecundæ legis parte tractat de origine, ac nominibus magiſtratuum usq; *ad* §. 35.

Magiſtratus autem ſunt perſonæ publicæ, quæ juri dicundo præſunt, §. 13. *h. t.*

Atq; vel ordinarij ſunt, vel extraordinarij, Ordinarij vel perpetui, vel temporales.

Perpetui vel majores, vel minores.

 Majo-

Majores veluti Reges. §.*14*. &(ſub his erat tribunus celerum §.*15*.) item conſules §.*16*. Cenſores §.*17*. Dictator. §.*18*. (Sub quibus erant Magiſtri equitum §.*19*.) Tribuni plebis §.*20*. ædiles plebis. §.*21*. Quæſtores §.*22*. *&* *23*. Decem viri §.*24*. Tribuni militum. §.*25*. Ædiles curules: §.*26*. & prætores, ijq; triplices, Urbani. §.*27*. *&* §.*28*. Provinciales, de quibus §.*32*. & adjecticij *d*. §.*32*.

Minores perpetui magiſtratus ſunt, Decemviri litibus judicandis deputati. §.*29*. Quatuorviri viarum curandarum. §.*30*. Triumviri monetales, & capitales ibidem. Quinq;-viri cis & uls Tyberim. §.*31*. Hi Magiſtratus ordinarij perpetui, majores & minores erant.

Temporalis erat præfectus urbi, *de quo* §.*33*. Atq; hi ordinarij.

Extraordinarij ſunt præfectus annonæ, & vigilum. *d*. §.*33*. Hactenus de ſecundâ legis parte.

In tertiâ & ultimâ parte tractat de ſucceſſione JCtorum à §.*35*. usq; ad finem legis.

Fuerunt autem JCti duplicis ferè generis.

Quidam enim conſultatoribus potius vacare volebant, quàm diſcere volentibus, de quibus §. *35*. *36*. *&* *37*.

Quidam etiam jura ſimul docebant & profitebantur.

Atq; hi rursum duplices.

Quidam enim in statu Democratico floruerunt, quidam in Monarchico. Qui in Democratico floruerunt, recensentur ferè *à* §. post hos *38.* usq; *ad* §. post hunc *47.* Qui sub Monarchico floruerunt, illi habentur *in* §. *fin. hujus legis.*

Ad titulum III.

De legibus, Senatusq; Consultis, & longâ consvetudine.

Paratitla.

CUm in præcedenti Titulo juris originem, & singulas ferè partes, seu species proposuisset Tribonianus è Pomponio; nunc quatuor ferè idem Tribonianus prosequitur ex his ulteriꝰ: quæ procul dubio suo seculo maximè florebant, & vigebant: in hoc titulo quidem, Legem, Senatusconsulta, & longam consuetudinem recenset, nimirum quod omne jus aut consensus fecerit, aut necessitas constituerit, aut firmaverit consuetudo. *l. pen. de legib.*

In tit. sequenti subjiciet constitutiones principum.

Legem autem hic sumit pro constitutione jubente in publicum, pro imperio, quæ recta sunt, prohibenteq; contraria *l. 1. & 2. hoc tit.* atq; ita Senatꝰ etiam jus facere potest. *l. 9. h. t.*

Effectus autem legis est, imperare, vetare, permittere, punire. *l.7.h.t.*

Princeps tamen legibus est solutus, & Augusta quoq; per principis privilegiũ. *l. 31.h. t.*

Subjectum legis sunt res non perrarò, præterq; naturam, sed facilè frequenterq; contingentes. *l.3. 4.5.& 6. h.t.* item non singulæ personæ, sed omnes. *l. 8. h.t.*

Cæterum non possunt omnes casus, qui quandoq; contigerint, legibus comprehendi. *l.10. 11.12.h.t.* Nimirum, quod natura novas semper velit edere formas. *Const. tanta. §.18. De confirmat: Digestor.* Idcirco si qui verbis legis non sunt comprehensi casus, interpretatione suppleri debent, & jurisdictione. *l.13.h.t.* cum scire leges non sit verba earum tenere, sed vim & potestatem. *l.17. h. t.*

Privilegia tamen non extenduntur. *l.14.15. & 16.*

Est igitur interpretatio legũ in his terminis duplex, Extensiva, & restrictiva. In qua quo commodius versari possis & rectius, Maximas aliquas, seu generales Regulas proponit Jureconsultus à lege *18. usq; ad l. 29.* quas nos methodicè comprehendimus in tractatiuncula de interpretatione juris; & demonstrat Donellus *1.comm.15.& 16.* Postea *l.29. & sequens,* Quisnam contra legem; Quis item in fraudem legis facere videatur, explicant.

Con-

Consvetudo nihil est aliud, quam frequens observatio seu diuturni mores populi consensu, rationeq; introducti. *l. 32. & seqq. usq; ad l. 39. inclusivè. h.t.*

Effectus consvetudinis, quod pro lege custodiatur *d. l. 32. & seqq.* & sit interpres legis. *l. 37. & 38.*

Ad titulum IV.

De constitutionibus principum.

Paratitla.

SEquitur pars quarta juris civilis. Nam etiam Constitutiones principum legis habẽt vigorem *l. 1. in pr. & §. 1.* nisi sint personales. Istæ namq; propriæ leges non sunt, nec personam egrediuntur *§. fin.*

Interpretatio vero Constitutionũ plenissimè fieri debet. *l. 3.* & si reperiantur fortè contrariæ (quod tamen non adeò facile fieri solet, cum leges non citò sint immutandæ. *l. 2. h.t.*) posteriores derogent prioribus. *l. fin.*

Ad titulum V.

De statu hominum.

Paratitla.

CUm omne jus vel ad personas pertineat, vel ad res, vel ad actiones. *l. 1.* meritò prius de personis videndum est. *l. 2.*

Conſideratur autem jus perſonarum in perſonæ cujusq; conditione.

Conditio ſpectatur in ſexu & in ſtatu.

Ratione ſexus omnes homines aut mares ſunt aut fæminæ, ſed conditio fæminarum deterior. *l. 9.*

Hermaphroditus verò æſtimatur à ſexu qui in eo prævalet. *l. 10.* licet autem is qui in utero eſt propriè non ſit homo. *l. 14. C. de fideicom. libert.* Sed pars viſcerum matris. *l. 1. §. ex hoc reſcripto, de ventr: inſpic.* finguntur tamen nati, quotiens de commodis ipſorum agitur. *l. 7. l. 26. h. tit.*

Status perſonæ non eſt perſonæ dignitas. *l. 20.*

Sed conſiſtit in capite, & conſideratur in libertate, civitate & familiâ. *t. t. de cap. diminut.*

Summa igitur & prima de ſtatu diviſio eſt: quod omnes homines aut liberi ſint, aut ſervi. *l. 3.*

Quinam ſint utriq;, cognoſci ferè poteſt ex *l. 4.*

Fiunt autem ſervi vel jure gentium, vel jure civili.

Jure gentium, qui ex ancillis noſtris naſcuntur, vel ab hoſtibus capiuntur.

Jure civili, qui ſe vendi paſſi ſunt *l. 5. §. 1.* Ob tenorē tamen inſtrumenti malè concepti non læditur ſtatus liberorum. *l. 8.*

Liberi vel ingenui ſunt, vel libertini. *d.l.5.* in pr.

Ingenui fiunt nativitate, qui ex matre, quocumq;, dum ventrem gerebat, tempore libera, nati ſunt. *l.5.§,2. l.15. cum ſeqq. l.22. h.t.* etiamſi mater prægnans ultimo ſupplicio ſit damnata. *l. 18. h.*

Item fiunt ingenui ſententiâ, ſeu re judicatâ. *l.25.&c.*

Patronus tamen adoptando libertum, eum ingenuum non facit. *l. fin.* Et homo quoq; liber qui ſe vendidit, manumiſſus non fit ingenuus, ſed libertinus. *l.21.*

Libertini ſunt, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt *l.6.* Servus tamen ſi in cauſſa capitali à ſuo Domino non ſit defenſus, propter hoc libertatem non conſequitur. *l.13.*

Altera diviſio eſt, quod alij ſint cives Romani alij peregrini. Utrum autem aliquis ſit civis Romanus, an peregrinus, diſcerni poteſt ex origine paterna, maternâq; : ubi benè notãdum, an nuptiæ legitimè contractæ ſint, an non. Illo caſu liberi patrem ſequuntur, altero, matrem. *l. 18. l. 19. l. 23. & 24.*

Atq; ideo natus extra conjugium ex cive Romano & latina, non fit civis, ſed Latinus Ulpian. *in frag. in tit. de his qui in poteſtat.*

Sanè in orbe Romano qui ſunt, ſunt omnes cives Romani. *l. 17.*

Tertia diviſio ratione ſtatus, quâ quæritur, an aliquis ſit juſtus filius, nec ne; & habendum eſt juſtum filium eſſe, qui ex juſtis nuptijs eſt procreatus. *l.19.pr.de patr.poteſt.* etiam ſeptimo menſe. *l.12.* non tamen qui ex matrimonio citra parentum conſenſum inito. *l. 11.* non item, qui contra formam humani generis. *l.14. &c.*

Ad titulum VI.

De his qui ſui, vel alieni juris ſunt.

Paratitla.

SEquitur hic tertia de jure perſonarum diviſio.

Qua quidam ſui juris ſunt, quidam alieno juri ſubjecti. *l. 1. in pr.*

Sui juris ſunt patres familiarum, & matresfam. tàm puberes, quàm impuberes. *l.4.*

Alieno juri ſubjecti ſunt primò ſervi, in quos olim poteſtas erat vitæ necisq; *l. 1. §. 1.* hodiè ſupra modum, & ſine causâ ſævire non licet. *l. 1. §. fin. & l.2.*

Deindè liberi ex juſtis nuptijs procreati. *l. 3.*

Etiam à furioſis parentibus. *l.8.*

Etiam nepotes ex filio, qui tamen avo mortuo ſolent in poteſtatem pàtris recidere. *l. 5.*

Etſi

Et si pater moriatur vel naturaliter, vel civiliter, in locum filij succedere. *l. 7.*

In publicis tamen habetur filius familias pro patrefamilias. *l. 9.* & inviti quoq; filij naturales, vel emancipati nō sunt in potestate. *l. fin.*

Cæterum ita liberi sunt in potestate, si sint *ex justis nuptijs & ex marito nati*, quod regulariter præsumuntur *l. 6. h. t. l. 15. de probat. l. 5. de in jus vocand.* nisi contrarium probetur certissimis conjecturis, puta, si forsan maritus tàm diu abfuerit, ut ex eo nasci non potuerit, vel cum uxore propter infirmitatem concumbere, aut alias generare non potuerit. *d. l. 6.*

Item si ante septimum post nuptias mensem nascatur partus vitalis. *l. 7. supra. tit. praced.*

Sanè in hoc casu sententia de alimentis lata non præjudicat veritati, ut propterea is cui alimenta concessa sunt, filius continuò censeatur. *l. pen. h. t.*

Ad Titulum. VII.

De adoptionibus, & emancipationibus & alijs modis, quibus potestas solvitur.

Paratitla.

CONstituitur patria potestas non solum justis nuptijs, seu nativitate, sed & adoptione. *l. 1. in pr.* Ado-

Adoptio eſt legitima liberi hominis in locum filij, vel alterius deſcendentis electio, *Vult*.1.*I. R*.22.

Eaq; duplex, Arrogatio, & Adoptio ſimiliter dicta.*l.1.§.1.*

Arrogatio eſt ejus, qui ſui juris vivit, & fit autoritate principis.

Adoptio ſpecialis eſt ejus, qui in poteſtate patriâ jam adhuc commoratur, & fit imperio magiſtratus.*l.1.§.1.& l.2.in pr*. Non tamen cujusvis, ſed apud quem eſt legis actio.*l.4. ff.h.t.*

Poſſunt autem adoptare & arrogare, qui non prohibentur, etiam ſpadones *l.2.§.1.& l.40.§.fin.* etiam cæcus:*l. 9.* & qui uxorem non habet. *l. 30.* & qui filium non habet. *l. 37. in pr.* etiam tutor privignium ſuum. *l. 32.§. fin.* & pupillum nonnunquam ſub certis conditionibus, de quib.*l.17.§.1. & ſeqq.* & interdum etiam pauperior ditiorem. *l. 17. §. 4.* ſed & qui duos filios habet, & ex altero eorum nepotem; Si vult nepotem, quaſi ex altero natum, adoptare; poteſt hoc efficere, ſi eum emancipaverit & adoptaverit, quaſi ex altero natum.*l. 15.§.1.*

Deniq; etiam in locum nepotis adoptare licet.*l. 43.*

Non tamen poteſt adoptare quis plures, niſi ex juſta cauſa, ſed nec libertum alienum,

nec

nec majorem minor. *l.15.§.fin.l.16.l.40.§.1.* Sed nec tutores minorem. 25. annis, regulariter adoptare possunt. *l.17. in pr.* Neq; adoptare, neq; arrogare quis absens, nec per alium ejusmodi solennitatem peragere potest. *l. 25. §. 1.*

Arrogari porrò possunt omnes, qui sunt sui juris. *l. 2. in pr. l.12.* etiam fœminæ. *l. 21.* & tàm in locum filij, quàm nepotis. *l.22.§. fin. l. 37. l.42.* etiam privignus. *l.32.§.1.* etiam consul vel præses apud se ipsum *l.3. cum seq.*

Adoptari verò qui sunt in potestate parentum, possunt. *d.l.2. in pr.* etiamsi cæci sint. *l.9.* & omnes illi, quos jam antea retuli.

Non tamen possunt arrogari vel adoptari plures, nec libertus alienus, nec minor à majori. *l.15.§.fin.& l. seq. l.40.§.1.* nec pupillus annis 25. minor. *l.17. in pr.* nisi sub certis conditionibus, de quibus illa tota lex, & sequentes quatuor: neq; absens, neq; dissentiens. *l. 24.* nec in certum aliquod tempus. *l. 34.*

Sed & in servitute meâ quæsitus, mihi filius quidem efficitur, libertinus tamen manet. *l. fin.* & à filio emancipato natus, nepos meus non erit. *l. 26.*

Etsi verò in arrogationibus saltem arrogatorum voluntas exploretur, quoniam tamen in adoptionibus saltem ij considerantur, qui sunt in potestate, & hi plerumq; libe-

rum

rum judicium non habent, præſertim cum etiam infantem in adoptionem dare poſſimus. *l.42.* Idcircò in his adoptionibus, ejus etiam in cujus poteſtate vivit adoptandus, arbitrium ſpectatur. *l. 5.* adeò, ut in adoptione nepotis, etiam filij conſenſus exigatur. *l.6.l.11.* qui conſenſus declaratur, non ſolum per ſermonem, ſed & alio quovis modo. *l.29.* Agnatorum tamen autoritas non eſt neceſſaria. *l.7.* ſed curatoris. *l.8.*

Cæterum præter hunc conſenſum adhuc aliæ ſolennitates requiruntur. Nam arrogare debemus apud magiſtratum. *d.l.3.& 4.* poſſumus tamen etiam apud proconſulem. *l. 36. §. 1.*

Effectus adoptionis eſt, jus patriæ poteſtatis, tàm in perſonis, quàm in bonis. In arrogatione adhuc amplius, in ipſis liberis, de quibus omnibus agit. *l.15. in pr. l.22. l.27. l. 40. l. 44. & l. 45.* Jus ſuitatis tamen avo non tribuit patre ſuperſtite, & ſub avi poteſtate vivente. *l. 10.* nec dignitatem minuit. *l.35.* & ſi adoptatus aliquibus non agnaſcatur, nec fit agnatus. *l.23.* & finita patris adoptivi poteſtate, nullum ejus retinetur veſtigium. *l. 13. & ſeq.* Adeò ut ſi pater filium emancipaverit, & poſteà eum adoptaverit, mortuo filio nihilominus nepos non revertatur in patriam poteſtatem. *l.41.* Tandem ſi adoptio jure non

ſit

ſit facta, poteſt à principe confirmari. *l.38.& ſeq.* Hæc una pars hujus tituli.

Altera pars agit de emancipatione, & alijs modis diſſolvendi patriam poteſtatem, ut rubrica teſtatur, ut tamen vult Cujacius, de alijs ferè nihil. Agit quidem etiam præter emancipationem de manumiſſione. *l.36.§.1.*& de morte. *l. 11. l. 13. l.22.* Sed manumiſſio eſt ipſiſſima emancipatio, & nihilominus alij modi omittuntur omninò, quos reperies fermè noſtra *Diſp.2.Pand.th. final.*

Eſt autem emancipatio filij de manu ſuâ dimiſſio, & eſt de jure triplex, Legitima, Anaſtaſiana & Iuſtinianea. *§. præterea.6. Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolu.* Pleraq; communia habet cum adoptione. Nam & apud proconſulem emancipari poſſunt, *l. 36. §.1.* & poteſt conſul, vel præſes apud ſemetipſum emancipare, & emancipari. *d.l.3.& 4.* Sanè cogi non poteſt pater, ut emancipet, *l. 31.* niſi certis caſibus. *l. 32. in pr.& l. 33.* & poteſt avus vel filium, vel nepotem, utrum velit, emancipare. *l. 28.* Filiæ tamen emancipatæ mortuæ controverſiam movere prohibetur. *l.25.* Hæc hujus tituli ſatis confuſi ſaltem aliqua ſint paratitla, quæ vix factu videbantur poſſibilia.

Ad

Ad titulum. VIII.

De divisione rerum & qualitate.

Paratitla.

HActenus de statu & jure personarum aliqua. Nunc subijciuntur aliquot divisiones rerum.

Prima est & præcipua ferè, quod aliæ res divini juris sint, aliæ humani.

Divini juris sunt iterum duplices; Verè divini juris aut quodammodo. Verè divini juris sunt, res sacræ & religiosæ. *l.1.in pr.*

Res sacræ sunt, quæ publicè consecratæ sunt. De quibus *l. 6. §. 2. & 3. l. 9. in pr. & §. 1. 2. & 5.*

Religiosæ res sunt, quæ cujusq; privatâ voluntate religioni dicabantur. De quibus *l. 6. §. 2. 4. & 5. & l. 7.*

Quasi divini juris sunt res sanctæ, id est ab hominum injuriâ sanctione munitæ. De quib. *d.l.1.in pr. l.6. §. 2. l 8. l. 9. §. 3. & . 4. & l. fin.*

Hoc generale est omnibus his divini juris rebus, quod nullius in bonis sint. *l.1. in pr. l. 6. §. 2.*

Humani juris sunt vel publicæ, vel privatæ. *d.l.1. in pr.*

Publicæ vel omnium hominum, vel aliquorum.

Omni-

Omnium hominum, dicuntur ſpecialiter communes,quales ſunt aër, aqua profluens, mare,littus maris, de quib. *l.1.in pr.l.2.3.4.l.5.§.1.l.6. in pr.& l.10.*

Aliquorum,nimirum, vel unius alicujus populi,ſeu gentis: vel unius civitatis.

Unius alicujus gentis res, dicuntur in ſpecie publicæ, quales ſunt portus, alveus, flumen,ripa,de *quib.l.4.§.1.& l.5.in pr.*

Unius alicujus civitatis uſu publicæ res dicuntur nominatim, res univerſitatis, ut ſunt theatra,ſtadia & ſimilia,de *quib.in l.6. §.1.*

Privatæ ſunt res ſingulorum.

Eæq; vel corporales vel incorporales. *d.l.1. in pr. & §.1.*

Corporales, quæ tangi poſſunt.

Incorporales quæ tangi nequeunt,de *quib. l.1.§.1.&c.*

Ad titulum IX.

De Senatoribus.

Paratitla.

CUm hactenus de jure perſonarum & rerum aliqua ſatis generaliter propoſuiſſent compilatores,jam actiones, & judiciorum ſeriem aggrediuntur.

In omni verò judicio quod legitimum eſſe debet, quatuor requiruntur.

1. Perſonæ ad judicium pertinentes; ut

Judex, *Actor*, *Reus*, & si quæ adjuvant.

2. Res in judicium deductæ id est actiones, exceptionesq; &c.

3. Forma & ordo, sive processus qui constat vocatione in jus, litis contestatione, caussæ tractatione per probationem & alia jura; & sententia alijsq; huc spectantibus.

4. Finis, qui est, ut jus obtineatur & dicatur, de quibus *Donel.17. com,3.*

Cæterum ante omnia, qui litigium habent (Actor & Reus) judicem idoneum eligere debent, atq; in judicio prima de judice cura sit.

Est enim incompetentiæ exceptio principio litis opponenda. *l. fin. C. de except.* adeò ut si alijs utatur Reus exceptionib9, in competentiæ exceptione prætermissâ, in judicem videatur consensisse, & ad hanc defensionem reverti nequeat, *arg. l. 52. de judic. l. 3. Zanger. in tr. de except. p. 2. c. 1. n. 1.* Non igitur frustra magistratus, eorumq; jurisdictio præmittuntur, cum ex jurisdictione cujusq; magistratus forum competens metiamur. *Vult. ad Rubr. C. de jurisd. n 13.*

Etsi vero senatores revera & propriè magistratus non sint: *Cujac. in l. 2. §. quod attinet. de orig. jur. Coras. hic.* nec inter magistratus referantur. *d. l. 2. De orig. jur*: quin potius à magistra-

gistratibus expressè separentur. *in l. 5. §. fin. de cap. minut.* larga tamen significatione, quia moderandæ Reipublicæ præerant, magistratus dici possunt. *arg. l. cum præcipua. De V. S.*

Erant igitur Senatores ab initio, qui cooptati fuerant in senatum consilij publici gratia. *Duar. c. 1. h.*

Tractat autem *h. t.* potissimum de dignitate Senatorum, quâ spectabiles, illustres, Clarissimi, perfectissimiq; dicebantur: qua de re in *leg. fin. §. fin. Duar. d. c. 1.* atq; constituitur in hoc titulo, eos hanc dignitatem etiam uxoribus impertire, de quo in *l. 1. 8. & 12.* & liberis; de quo *in l. 5. 6. 7. 9. & 10.*

Domicilium tamen non mutat Senatoria dignitas. *l. 11.* & licet Senatores perpetui sint, si tamen justa caussa suadeat, ordine moventur. *l. 2. 3. & 4.*

Ad Titulum. X.

De Officio Consulis.

Paratitla.

OFficium Consulis olim erat in arduis, hodiè saltem in ijs versatur, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis; nimirum ut consilium præbeat manumittere volentibus. *l. 1. in pr.* Consules aut seorsim singuli manumittunt. *§. 1.* & apud se servos suos manumittere pos-

 sunt.

ſunt. §. 2. *Vide omninò Alciat. & Gœd. in l. 100. De V. S.*

Ad titulum XI.

De officio præfecti prætorio.

Paratitla.

COnſideratur in hoc titulo origo præfectorum prætorio, & poteſtas.

Origo ea ferè eſt, quod ad vicem magiſtri equitum à principibus ſint electi. *in pr. hujus l.* Poteſtas in emendatione publicæ diſciplinæ. *pr.* & quod non liceat ab ipſis appellare. *§. 1.* & quod à ſententijs ipſorum non liceat alijs præter ipſos in integrum reſtituere. *§. fin.*

Ad titulum XII.

De officio præfecti Urbis.

Paratitla.

TItulus nihil aliud, quam officij jura notat, quibus continetur, ut omnia, quæ ad mores, ad quietem publicam, & domeſticam, & ad vitia, criminaq; coërcenda pertinent, gubernet. *in pr. §. 1. §. 2. §. 5. 6, 7. 8. 9. 10. 11. 12. & §. 14.*

Undè & poteſtatem habet relegandi, deportandi, interdicendi, *§. 3. & 13. l. 1.*

De

De pecuniarijs tamen & civilibus non cognoſcebat, niſi certis caſibus. *l. 2.* Et poteſtas ejus, urbis fines, aut certè centeſimum miliare non egreditur. *§. 4. l. 1. & l. fin.* extra urbem, tamen poteſt jubere, judicare, ſi vera eſt legis finalis lectio.

Ad titulum XIII.

De Officio Quæſtoris.

Paratitla.

ORigo Quæſtoris juxta receptiorem opinionem eſt à Tullio Hoſtilio. *pr. h. l.*

Dicti verò ſunt Quæſtores à quærendo, *§. 1.* & creantur hodiè, tam patritij, quàm plebeij. *§. 3.*

Et ſunt, vel provinciales, vel principis Candidati. *§. 2. & §. fin.*


Ad titulum XIV.

De Officio Prætorum,

Paratitla.

ET manumitti poteſt à patre, apud filium familias prætorem. *l. 1.* & poteſt apud ſemetipſum tam emancipari, quàm adoptari prætor. *l. 2.*

Tutorem tamen, vel judicem ſpecialem ſe dare nequit prætor. *l. fin.*



Cæterum quamvis ſervus à populo prætor conſtitueretur; tamen ejus decreta & ſententiæ propterea non reſcinderentur.

Ad titulum XV.

De Officio Præfecti Vigilum.

Paratitla.

OFficium præfecti vigilum in his potiſſimum conſiſtit.

I. Ut ignem arceat, & incendiorum avertat pericula, de quo *l.1.2.3.in pr.* §.*1.*§.*4.* & *l. fin.*

II. Ut de incendiarijs, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus cognoſcat, §.*1.*& *2.l.3.*

III. Ut per totam noctem vigilet. §.*3.l.3.*

IV. Ut hinc, inde oberret, & vagetur cum inſtrumentis ad incendia extingvenda idoneis. *d.* §. *3.*

V. Ut admoneat inquilinos. §. *4.*

VI. Ut adverſus capſarios cognoſcat. §. *fin.*

Ad titulum XVI.

De officio Proconſulis & legati.

Paratitla.

Hacte-

HActenus de Magiſtratibus urbanis, ſequuntur jam qui provincias tenebant.

Ii duplicis fuerunt generis

Alij mittebantur à Senatu qui proconſules dicebantur.

Alij verò potius à Cæſare, qui præſides, *Cujac.20.obſ.37.*

Hoc titulo de Proconſulis officio tractatur, ejusdemq; legati.

Proconſulis officium in eo eſt, ut quamvis ante ingreſſum provinciæ poſſit inſignibus proconſularibus uti. *l.1.& l.14.* jurisdictionem tamen, niſi voluntariam non exerceat *d.l.1.& l.2.in pr.* & debeat edictum omninò emittere de ſuo adventu. *l.4.§.3.* & per ſolitam viam ingredi. *l.4.§.5.* nec uxorem ſecum ſumere. *l.4.§.2.*

Ingreſſus verò jam in provinciam, licet eam hoſpitijs præbendis non nimium onerare debet. *l.4 in pr.* jurisdictionem tamen habet pleniſſimam. *l.6.§.fin.*

Et imperium omnibus poſt principem majus. *l.8.* atq; ſi volet, etiam jurisdictionem mandare poteſt. *l.4.§.fin.* etiam antequam in provinciam pervenerit aliquando *l.5.* & mandare poteſt non ſolum jurisdictionem, ſed & cuſtodiarum cognitionem. *l.6.in pr.* nec quicquam eſt in provincia quod

non per ipſum expediatur. *l. 9. in pr.* Unde non mandare ſolum poteſt jurisdictionem, ſed & adimere. *l. 6. §. 1.* licet ante ſe de provincia non poſſit legatum dimittere. *l. 10. §. 1.* & licet ubi decretum neceſſarium eſt, id expedire per libellum proconſul non poſſit. *l. 9. §. 1.* Hinc etiam de advocatis cognoſcere. *l. 9. §. 1. & §. 5.* & de obſequijs parentibus patronisq; præſtandis poteſt. *l. 9. §. 3.* & obſervare ut ordo ſit poſtulationum. *d. l. 9. §. 4.* & quæ præſidum communia ſunt pariter obſervare debet. *d. l. 9. in fin.* Sed & circa extrajudicialia verſatur ejus officium. Nam & operum publicorum curam habet, & rei militaris. *l. 7. in pr. & §. 1. l. 4. §. 1.*

Poteſtas hujus magiſtratus finitur adventu ſucceſſoris in provinciam. *l. 10. in pr.* & quam primum Romæ portam fuerit ingreſſus. *l. fin.* Hæc de proconſule in hoc titulo habentur. Legati proconſulis, nihil habent proprium, ſed mandatam jurisdictionem exercent. *l. 13.* atq; ideò apud ipſos nec manumitti poteſt, nec adoptari *l. 2. & 3.* nec principem conſulere debent, ſed proconſulem. *l. 6. §. 2.* & ſi quid majorem animadverſionem exigat, ad proconſulem rejicere debent. *l. 11.* Judicis tamen & tutoris dandi jus habent. *l. 12. l. 15.*

Ad

Ad titulum XVII.

De officio præfecti Augustalis.

Paratitla.

PRæfectus Augustalis alibi dicitur præfectus Ægypti *l. apud de man. vind.* Mittebatur enim ex equitibus in Ægypti provinciam proconsulari potestate Cujac.

Ad titulum XVIII.

De officio præsidis.

Paratitla.

PRæsidis appellatio generalis est, & specialis, *l. 1. h. t.* Specialiter præsides dicuntur legati Cæsaris, qui cum Præsidiatus titulo in provinciam mittuntur. Atq; de his in hoc titulo, ita ut triplex ferè caput de ipsis tractetur.

Primum de potestate & imperio ipsorum:

Deindè de officio:

Tertiò de generalibus quibusdam regulis, sive præceptis, quæ præsides in provincia regenda servare debent.

Potestatem quod attinet: Apud se adoptare, emancipare, & manumittere potest. *l. 2.* & si universas provincias regit, gladij jus exercet. *l. 6. §. 8.* & de omnibus causis, de quibus

magiſtratus Romæ cognoſcunt, ejus ēſt notio *l. 10. & 11.* maximumque imperium habet poſt principem, *l. 4.* ſed ſaltem in ſuæ provinciæ homines, rarius adverſus extraneos. *l. 3.* Fines enim provinciæ ſuæ non debet excedere. *l. 15.* Sanè ſi Cæſar reſcripſerit, Præſidem adire potes, nihilominus in ipſius poteſtate erit vel judicare, vel alium judicem dare. *l. 8. & 9.* Sed etſi manumiſerit, priusquam cognoverit, ſucceſſorem adveniſſe, erunt hæc rata, *l. 17.* neq; abdicendo ſe ſuum imperium amittit. *l. pen.* Hæ ferè leges agunt de imperio & poteſtate præſidis.

Officium ejus, in eo, ut malis hominibus provinciam purget. *l. 3. in fin. l. 13. in pr. & l. fin.* Undè in vincula conijcere debet, etiam innocentes nonnunquam, ut furioſos. *l. 13. §. 1. & l. ſeq.* & omnis generis machinationem, fraudem & injuriam, tum in commercijs, tum in alijs negocijs, præcavere debet, & prohibere, *de quibus in tota l. 6.* Sed & ædificiorum refectio ad ipſius curam pertinet. *l. 7. h. t.*

Tandem præcepta quoq;, quædam præſidi ſervanda ſunt, quæ proponuntur in hoc titulo, veluti.

Ut non tam exemplis, quàm legibus judicet. *l. 12.*

Item, ut de ſuis parciſſimè jus dicat. *l. 16.*

Item, ne donum accipiat, niſi eſculentum potulentumvè. *l. 18.*

Item

Item ut in adeundo se facilem præbeat, ne excandescat, nec illacrymetur, nec in ulteriorem familiaritatē provinciales admittat: Et deniq; ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat, *de quibus omnibus l. 19.*

Ad titulum XIX.

De officio Procuratoris Cæsaris, vel Rationalis.

Paratitla.

PRocurator Cæsaris ejus rem gerit, sicut alius quivis procurator, modo benè diligenterq; in re versetur, ita ut quærat, non alienet. *l. 1. in pr. & §. 1.*

Habet tamen hoc ab alijs procuratoribus peculiare, quod Cæsaris nomine possit hæreditatem adire, & servum Cæsaris cogere, ut adeat. *l. 1. §. 2. & l. 2.* Etsi vero jurisdictionem habet, *l. nec quicquam. sup. tit. proximo. l. fin. §. 11. h. t.* Imperij tamē potestate destituitur. *l. fin.*

At titulum XX.

De officio juridici.

Paratitla.

SUb præfecto Augustali fuit olim etiam Juridicus, cujus officium versabatur in Jurisdictione. Unde & adoptiones apud ipsū fieri poterant. *l. 1.* & poterat tutorem dare. *l. 2.*

Nihil est in hoc titulo difficile, si de legis actione

actione videas, quæ diximus. *in l. 2. §. 6. De orig. jur.*

Ad titulum XXI.

De officio ejus, cui mandata est jurisdictio.

Paratitla.

QUæcunq; non competunt jure magistratus, sed specialiter, ea mandari non possunt. *l. 1. & in pr. §. 1.* Quæ verò competunt jure magistratus regulariter mādari possunt. *d. l. 1. in pr. &. §. 1. l. 4. in pr. §. 1.* sed saltem quoad exercitium. *d. l. 1. §. 1. & l. 2.* Undè qui mandatam jurisdictionem habent; alteri non possunt eam mandare, *l. fin. in pr.* Sanè sunt quædam quæ competunt jure magistratus, & tamen mandari non possunt, *de quibus l. 2.*

Ad titulum XXII.

De officio Assessorum.

Paratitla.

HActenus de personis, quæ vel propriam, vel mandatam jurisdictionem habent: agit nunc de Assessoribus, qui nullam habent, sed saltem magistratibus & judicibus assident, eosq; dirigunt.

Possunt autem Assessores esse etiam liberti, non tamen infames. *l. 2. h. t.* non etiam

in eâ

in eâ provinciâ, ex qua oriundi ſunt, niſi magna provincia ſit in duas parvas diviſa. Tum enim in altera parte provinciæ natus, in altera poterit Aſſeſſoris munere fungi, *qua de re in l. 3.* Sed nec Advocare poſſunt Aſſeſſores, nec aliud quicquam judiciale facere. *l. 5.* Officium verò Aſſeſſoris eſt, judicibus aſſiſtere, & ipſos inſtruere. *de quo in l. 1.* De honorario & ſalario ipſorum agitur. *in l. 4.*

LIBER SECUNDUS.

Ad titulum I.

De jurisdictione.

Paratitla.

PRoponuntur in hoc titulo exempla meri Imperij & mixti. *l. 3.* & quamvis jus dicentis officium latiſſimum eſt. *l. 1.* certis tamen etiam regulis concluſum reperimus, veluti, ne quis ſuis jus dicat. *l. 10.* ne extra territorium, ſive ſupra juris dictionem jus dicat, ſive ipſe magiſtratus exerceat, ſive alijs mandet, *Quo pertinet lex. finalis. l. 3. l. 4. l. 5. l. 6. l. 11. l. 12. l. 13. & l. 19.* Undè etiam de mandatæ jurisdictionis efficacia quædam traduntur. *l. 2. l. 16. & l. 12.* Poteſt tamen nonnunquam jurisdictio magiſtratuum prorogari. *de quo l. 14. l. 15. & l. 18.* Juxta hæc tractatur, etiam in hoc

titulo

titulo de pœnâ in albi corruptores constituta. *l.7. l.8. & l.9. ff. h.t.*

Ad titulum II.

Quod quisq; juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

Paratitla.

HUjus edicti quod æquissimum est. *l.1. in pr.* duæ sunt patres,

1. De eo, qui novum & iniquum jus dixit alteri.

2. De eo, qui sibi jus iniquum postulavit à magistratu. §. *1.* Cogitationis autem pœnam in hoc edicto nemo patitur, sed juxta affectum, etiam effectus requiritur. §.2. & in judicante dolus inesse debet. *l.2.* ut autem edicto quis teneatur, postulatio debet intervenire. *l.3. in pr. &* §. *2.* Tandem non tenentur hoc edicto Procurator, nisi in rem suam fuerit datus. *l.3.* §.*1.* neq; pater ex facto filij: §. *4. legis 3.* neq; qui postea ex hoc edicto novo jure utitur. *l. fin.* licet teneatur tutor & Curator. *d.l.3.*§.*1.* & hæres etiam. §. *5.*

Ad titulum III.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

Para-

Paratitla.

COntinet hic titulus actionem ex edicto, si quis jus dicenti non obtemperaret, quæ oritur ex contumacia non obtemperantis jus dicenti, *Videatur Haersolt. act. 7.*

Ad titulum IV.

De in jus vocando.

Paratitla.

COnstat initium instituendarum omnium actionum ab in jus vocatione proficisci. *§. fin. Inst. de pœn. tem. litig.* Recte igitur & necessariò postquam hactenus de magistratibus, ipsorumque jurisdictione, dictum fuit, nunc hic tit. de in jus vocando subijcitur. Ante omnia enim adversarium, cum quo velimus agere, in jus vocari oportet. *d. §. fin.*

Est autem in jus vocare, juris experiendi causa vocare. *l. 1. h. t.*

Tractatur verò in hoc titulo potissimum, Quinam quos in jus vocare possint. Et sciendum est, omnes vocari posse, qui non prohibentur.

Exceptæ verò sunt certæ quædam personæ, quæ in jus vocari non possunt. Earum duo ordines.

Unus eorum quos prætor pro tempore in totum vocari vetat, ut sunt magistratus & alij, *de quibus in l. 2. 3. 4.*

Alter

titulo de pœnâ in albi corruptores constituta. *l. 7. l. 8. & l. 9. ff. h. t.*

Ad titulum II.

Quod quisq; juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

Paratitla.

Hujus edicti quod æquissimum est. *l. 1. in pr.* duæ sunt partes.

1. De eo, qui novum & iniquum jus dixit alteri.

2. De eo, qui sibi jus iniquum postulavit à magistratu. §. *1.* Cogitationis autem pœnam in hoc edicto nemo patitur, sed juxta affectum, etiam effectus requiritur. §. 2. & in judicante dolus inesse debet. *l. 2.* ut autem edicto quis teneatur, postulatio debet intervenire. *l. 3. in pr. & §. 2.* Tandem non tenentur hoc edicto Procurator, nisi in rem suam fuerit datus. *l. 3. §. 1.* neq; pater ex facto filij: §. *4. legis 3.* neq; qui postea ex hoc edicto novo jure utitur. *l. fin.* licet teneatur tutor & Curator. *d. l. 3. §. 1.* & hæres etiam. §. *5.*

Ad titulum III.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

Para-

Paratitla.

CONtinet hic titulus actionem ex edicto, si quis jus dicenti non obtemperaret, quæ oritur ex contumacia non obtemperantis jus dicenti, *Videatur Haersolt. act. 7.*

Ad titulum IV.

De in jus vocando.

Paratitla.

COnstat initium instituendarum omnium actionum ab in jus vocatione proficisci. *§. fin. Inst. de pœn. tem. litig.* Recte igitur & necessario postquam hactenus de magistratibus, ipsorumque jurisdictione, dictum fuit, nunc hic tit. de in jus vocando subijcitur. Ante omnia enim adversarium, cum quo velimus agere, in jus vocari oportet. *d. §. fin.*

Est autem in jus vocare, juris experiendi causa vocare. *l. 1. h. t.*

Tractatur vero in hoc titulo potissimum, Quinam quos in jus vocare possint. Et sciendum est, omnes vocari posse, qui non prohibentur.

Exceptæ vero sunt certæ quædam personæ, quæ in jus vocari non possunt. Earum duo ordines.

Unus eorum quos prætor pro tempore in totum vocari vetat, ut sunt magistratus & alij, *de quibus in l. 2. 3. 4.*

Alter

Alter ordo eorum, quos concedit quidem in jus vocari, ſed non aliter quam permiſſu ſuo, ſive venia, quo in numero habet parentem, patronum &c. *de quibus in l.4.5.6.7.8.9.10.12.13.14.15.16.17.22.& reliquis ſeqq.& in l.1.2.& 3. C. hoc tit.* Nam generaliter eas perſonas quibus reverentia præſtanda eſt, ſine juſſu prætoris in jus vocare non poſſumus. *l. generaliter 13. h.t.* adeò ut qui contra fecerit 50. aureis puniatur. *l.12.& l. pen.* quæ tamen pœna nonnunquam ex æquo & bono moderationem recipit. *l. 11. Don. 13. com.3.* Sunt quædam aliæ exceptiones, in quibus libertus patronum in jus vocaturus, venia prætoris non indiget, ut puta, ſi patronus libertum ſuum ad jus jurandum adegerit, ne uxorem ducat *l.8. §. fin.* Item ſi Actrix, ob id libera effecta, quod contra legem venditionis proſtituta ſit, velit agere. *l.10.§.1.* item libertus natalibus reſtitutus. *d.l.10. §.3.* item libertus civitatis. *l. in tantum §. Vniverſitatis in fin. ſup. de divis. rer.* Et tandem ſi patronus per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus ſit *d. l. 10. §.6.* Sed etiam ex domo ſua neminem licet in jus trahere. *de quo l. 18. cum ſeqq.*

Cæterùm aliud erat, olim in jure verſari, aliud in judicio. Vult *in §. præjudiciales. n. 8. Inſt. de act. & in lib. diſcept. 1. pag. 19. Duar. 1. diſp. 53. & cap. 1. & ad hunc tit. c. 2. Coras. lib. 3. Miſc. 18.*

Gorea-

Goveanus.in l.13.de jurisd.&c.per:l.4. de interrogat. in jure fac.per l.1.C.ne quis in sua causa jud.vel jus sibi dic. præsertim per legem amplius 15. ratam rem haberi. Aliud igitur etiam in jus vocatio, aliud citatio.

1. Illa ad prætorem sive magistratum; hæc ad judicem datum.

2. Illa sine jussu prætoris: citatio non nisi jussu judicis præeunte, voce præconis.

3. Illa fiebat ad magistratum, hæc ad judicem datum.

4. Illa fiebat juris experiundi causa;hæc facti disceptandi.

5. Illam faciebat acturus, etiam obtorto nonnunquam collo,& vi rapiens,si reus nollet sequi: hanc verò facit non nisi judex, sive apparitor ejus.*l.Divus.de in integr. restit.l.post.de judic.Vult.discept.1.pag.19.Goveanus.1.lect.cap.fin. Haërsolt.act.8.n.2.* Hodiè tamen,sublata differentia,juris & judicij, citatione potius utimur,in qua cum non ducantur, & rapiantur amplius rei,sed prætoris, sive magistrat9 jussu citentur,totum hoc edictum, de in jus vocando, non videtur amplius esse magni momenti, adeò ut prohibitæ antea personæ, hodiè sine venia citari possint. *VVesenbec.in paratit.n.12.Cujac.10.obs.10.Rævard.ad ll.12.tab.c.5. Haersolt.de act.8.n.14.Schvvartzmeier. in pr. ad tit. C.*

 de in

de in jus vocand. Videamus igitur aliquid potius de citatione.

Citatio est actus judicialis, quo is, quem coram comparere oportet, mandato judicis citatur, sive vocatur. Estq; vel publica, vel privata.

Publica, quæ fit per edictum, per proclama, vel per campanam.

Privata, vel Realis, vel verbalis.

Realis personæ præhensio, sive arrestatio, quæ fit manus injectione, quando nimirum Reus personali capturâ ad judicem trahitur; Id quod fit potissimum in criminalibus caussis.

Verbalis citatio voce & scriptione comprehenditur, voce nimirum in faciem & domum rei citandi, vel per notarium, vel nuncium. Atq; in hoc casu Notarij super factâ executione instrumentum publicum conficere solent, eidemq; executionis à se factæ inserere tenorem. Nuncij vero solent ipsi citationi à tergo suam relationem asscribere. Atq; huic nuncij jurati scripturæ omninò sine præjudicio credendum est, tum propter perspectam ejus fidem, tum propter jurisjurandi religionem, quâ judicio obstrictus est.

Scriptione fit citatio, quoties per literas judicis aliquis vocatur vel citatur. Sunt autem citationis etiam certa quædam requisita.

1. Et *primò* quidem requiritur, ut in citatione nomen judicis exprimatur, nimirum, ut citatio salva conservetur, quæ vitiatur, si in nomine, aut pronomine judicis erretur, tum ut scire possit Reus, an à competente judice sit vocatus, vel secus.

2. Ut sciat utrum jussu judicis citetur. Et tandem, ut sciat, utrum judex ordinarius sit vel delegatus.

2. *Secundum* requisitum, quod in quavis citatione Rei quoq; nomen exprimendum est, ne fraudi locus relinquatur, adeò, ut si plures citandi veniant, singulorum nomina debeant exprimi. Quod tamen non procedit, si quando collegium, vel universitas esset citanda.

3. *Tertium* requisitum citationis, quod actoris nomen debet continere: nimirum, ut citatus de eo sit certus, & deliberare possit, an velit contēdere, an vero cedere: tum ut cognoscere possit, an etiam citatio à judice per actorem postulata sit. Excipitur tamen casus, si fortassis judex ex officio suo procederet, quo citatio etiam non postulata valida est.

4. *Quartum* citationis requisitum est caussæ expressio, quam sufficit, sive in genere, sive in specie exprimas.

5. *Quinto* requiritur loci, in quo citatus comparere debet, expressio, quo nō assignato, cita-

tio pro nulla habetur, tum ut constet Reo, utrum judex fines suæ jurisdictionis non sit transgressus, tum ut citatus possit inquirere in loci qualitatem. Locum enim judicij tutum, & securum esse oportet, neq; potest citatus ad locum minus tutum, sive contagiosum, si non compareat, contumaciæ accusari, cum insipientium sit, sese periculo temere committere.

6. *Vltimò* requiritur, ut terminus quoq; seu dies, quo citatus comparere debeat, ipsi præfigatur; qui secundum distantias locorum longus vel brevis Reo constituitur. *Videatur Ludov. Schwartzmeier in prolegom. C. de in jus voc.* An autem ad diem feriatum facta valeat? *Vid. l. fin. C. de ferijs. & l. 2. si quis in jus vocatus non ierit.* Et quæ ibidem notavi.

Ad titulum V.

Si quis in jus vocatus non ierit, sive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuerit.

Paratitla.

Hic proponitur effectus in jus vocationis, si quis enim in jus vocatus non venerit, à competente mulctetur judice; præter quam si ex justa causa pænam ei voluerit remittere, *Vide l. 2. §. 1. h. t.* Nec sufficit, si fidejussorem dederit, qui fori privilegio tutus sit. *l. 1.* nec refert

fert ex quacunq; causa vocetur. Semper enim venire debet, ut sciatur, an ejus sit jurisdictio. *l. 2. in pr.* si quis autem in judicio sisti sine pænæ adjectione promiserit, & status non fuerit, ad interesse competit actio incerti. *l. fin.*

Ad titulum V I.

In jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent.

Paratitla.

Dictum est præcedente titulo. In jus vocatum necessum habuisse venire, vel cavere. Cavere vel cautione simplici, vel satisdatione. Alias enim si neq; venirent, neq; caverent, in jus trahi poterant. Illud ipsum hic titulus innuit, & docet, quod qui satis dat; fidejussorem locupletem dare debeat. *l. 1.* Exceptis tamen necessarijs personis, in quibus fidejussor pro locuplete accipitur. *d.l.1.l.2. l.3.* sane qui duos homines sistere debet, unius exhibitione non liberatur. *l. fin.*

Ad titulum V I I.

Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.

Paratitla.

Quia nonnunquam amici in jus vocatorum, ipsos è manibus vocantium eximebant;

bant; prætor hoc edictum proposuit, quo compesceret eos, qui vocatos eripiunt. *l. 1. in pr.* Constituit igitur, ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat, neve dolo malo faciat, quo minus eximatur. Si quis adversus ea fecerit, quanti ea res est æstimata ab Actore, actio data est. Quidnam autem sit eximere & quomodo ab eripere differat, *tractatur, in l. 4. in pr.*

Cæterum competit hæc actio ei, cui in jus vocatus exemtus est, etiam Calumniatori. *l. 4. §. 1. l. 5. §. 1. h.* etiam heredi, si ejus intersit *l. 5. §. fin.*

Datur adversus eum, qui in jus vocatum exemit, sive per se, sive per alium. *l. 4. §. fin. l. 5. in pr.* etiam adversus dominum, si servus exemerit. *l. 1. §. 1.* etiam contra plures eximentes, & singulos in solidum. *l. pen. §. fin.* etiam adversus eum, qui reum occultavit, ne capiatur juxta Jasonem.

Datur autem hæc actio non de certa pœnâ, nec eâ continetur, quod in veritate est, sed quanti ea res est ab actore æstimata. *l. 5. §. 1.*

Cessat tamen hæc actio. 1. si persona quæ in jus vocari non potuit, exemta est, veluti parens, patronus, &c. *l. 1, 2. & 3.* 2. si quis aliò quam quo debuerat, vocatus erit, vel à non habente jurisdictionem *l. 3. §. 1.* (3.) si nihilominus exemtus, productus fuerit. *l. 5. h. t.* 4. si dies

dies non exierit, vel res tempore amiſſa non ſit, *l. 4. h. t.*

Ad titulum VIII.

Qui ſatisdare cogantur, vel jurato promittant; vel ſuæ promiſſioni committantur.

Paratitla.

IN jus vocati neceſſum habebant, aut ire, aut ſatisdare *t. t. in jus voc. ut eant* &c. Qui tamen immobilia bona poſſident, non tenentur ſatisdare, qua de re *in l. pen. h. t.* Qui vero non poſſident immobilia, tenentur omninò ſatisdare. Satisdatio tamen illa non eſt unius generis. Ab alijs enim fidejuſſor jubetur dari locuples, ab alijs qualiscunq; datus ſit, *qua de re in l. 2. §. prætor h. t.* Quo jure poſito hæc ſunt quæſita. Quis ſit fidejuſſor idoneus judicio ſiſtendi cauſſa? *de quo in l. 2.* Quid agendum ſi dubitetur, An ſit idoneus judicio ſiſtendi cauſa? *de quo in l. 9. & ſeq.* Quid ſi Actor fidejuſſorem evidenter locupletem non acceperit? *de quo in l. 7.* & alia nonnulla, in quibus totus hic titulus conſumitur *Don. 23. com. 9.*

Ad titulum IX.

Si ex noxali cauſâ agatur quemadmodum caveatur.

Paratitla.

PEndet hic titulus ex superiore, atq; tractatur in eo quoq; de satisdatione, sed de ea, quæ præstatur in noxalibus actionibus. Proponitur autem *in pr. l. 1.* edictum Prætoris, quo constituitur, ut quotiens agitur noxali actione cum Domino servi, cautio exigatur, ut servus sistatur, in eadem causa, in qua tunc est, cum satisdatio postulatur.

Hinc explicatur *sub h. t.* Quidnam sit in eadem causa præstare servum. Regula quidem *in d. l. 1. §. 1.* exemplis verò *in eod. §. & l. 2. in pr. l. 3. 4. 5. & 6.* In *leg. secunda. §. 1.* explicatur; quidnam cavendum sit in noxali causa?

Ad Titulum. X.

De eo per quem factum erit, quo minus quis in judicio sistat.

Paratitla.

COërcet hic titulus dolum ejus, qui impedit aliquem judicio sisti, & multis modis differt *à tit. 7. hujus lib.* Nam illo coërcetur, qui fecerat quo minus in jus vocatus sequeretur, producereturvè; hoc nostro coërcetur, qui fecerat quo minus qui caveat judicio sisti, ad diem sua sponte veniret.

2. Illo edicto vis coërcetur, hoc dolus.

3. Ex illo agit actor, seu qui in jus vocat, ex hoc

hoc Reus, & interdum Actor, si eo facto actionem suam amiserit.

4. Illo Actor meram pœnam persequitur, hoc nostro interesse.

5. Illo singuli tenentur in solidum: in hoc unius solutio liberat alios.

6. Jlli locus est Reo exempto, hoc etiam impedito Actore. *Sebastian. Brandt. in paratitl. hic & Duar. utrobiq; hic. Cujac. 10. obs. 10. Haërsolt. act. 13. n. 3.* Cæterum æquissimum est hoc edictum. *l. 1. in pr.* & ex eo competit actio non modo Actori, sed & Reo. *l. 1. §. 3, & fin. l. 3. in pr. §. 1. 2. & 3.* Adversus eum qui dolo fecit, quo minus quis in judicium vocatus sistat. *l. 1. §. 3. 4. 5. & fin. l. 2. 3. §. 1. 2.* Datur autem in interesse *d. l. 3.* quod ex parte Rei, non ex parte fidejussoris æstimatur. *l. 3. §. fin.* Quisnam autem dolo fecisse censeatur, explicat *Vlpianus in tota l. 1.*

Ad titulum XI.

Si quis cautionibus in judicio sistendi causa factis, non obtemperaverit.

Paratitla.

IN hoc titulo duo ferè proponuntur capita. Primum continet exceptiones quasdam, quibus se tueri possit is, qui deseruit promissionem judicio sistendi causa factam.

Prima est, si quis longius absit, *de qua in l. 1.*

Secunda est transactio. *l. 2. in pr.*

Tertia justum impedimentum cujus exexēpla sunt *in l.2.§.1.2.3.4.5.6.7.8.& 9.l.4. in pr. §. 1. & duob:seqq. & in l. 6.* Impeditus tamen ab homine privato, non juvatur exceptione. *l.2. §.fin.l.5: l. 5. in pr.*

Quarta exceptio est, si post modicum stipulationis commissæ tempus se stiterit Reus *l.8.*

Quinta, si fidejussoris tutela finita sit. *l. fin.*

Sexta, si ex duobus reis promittendi unus ad judicium non venerit, & actor ab altero rem petat. Tum enim si pœnam adhuc petat, exceptione submovebitur. *l. 5. §. 1.*

Septima *in l. 9. §, 1.*

Octava *in l. 10. §. 1. &c.* Solet autem ex his causis exceptio competere non solum reo principali, sed & fidejussori. *l. 6. & 7.l.4. §. 5.* Non procedunt tamen hæ Exceptiones, si causis exceptionum specialiter expressis nominatim convenerit, ut quamvis promissio deserta fuerit, nulla tamen objiciatur exceptio. *l. 4. §. 4.*

Alterum caput hujus tituli quædam miscellanea continet, de pœnâ stipulationis commissa, *de quibus in l. 9. in pr. l. 10. in pr. & §. 2.l. 11. 12. 13. & 14. &c.* Hæc ita ferè disposuit Duarenus.

Ad titulum XII.

De ferijs & dilationibus, & diversis temporibus.

Paratitla.

AGit hic titulus partim de ferijs, partim de dilationibus. Differunt verò feriæ à dilationibus tripliciter.

1. Feriæ sunt à lege, dilationes à judice.

Deindè feriæ differunt omnia judicia, & jura: dilationes singulas lites.

Tertiò dilationes dantur post litem contestatam, feriæ nonnunquam litem præcedunt.

De ferijs hæc proponitur in pr. Regula.

Quod quis messium & Vindemiarum tempore adversarium cogere non possit, ut in judicium veniat, adeò ut si prætor per ignorantiam partes evocaverit; & partes abesse perseveraverint, sententia prolata sit ipso jure nulla. §. *1.* Excipiuntur tamen ab hac regula varij casus.

1. Si voluntate, & consensu partium diebus feriatis judicium fiat. *d.* §. *1. & l. 6. h. t.*

Item si urgens aliqua necessitas vel gravis causa suadeat, *d.l.1.§.fin.l.2.l.3. l. 9. h. t.*

Sanè pridiè calendas Januarias magistratus omninò jus dicere non potest. *l. 5.* Si verò non constet de tempore messis, vindemiarum-

miarumq;, præsides provinciarum illud solent constituere. *l.4.h.t.* Incipit autem dies à media nocte *l.8.* Et hæc de ferijs.

Altera pars tituli tractat de eo, quoties dilatio dari debeat? *Qua de re in l. 7. & leg. fin.*

Ad titulum XIII.

De Edendo

Paratitla.

FRustra adversarius in jus vocatur, & cavetur judicio sisti, nisi edatur quoq; actio, & instrumenta litis: *Haërsolt.* Postquam igitur aliquis in jus vocavit, vel vocatus cavit judicio sisti, tùm ei actio debet edi.

Quapropter, cum hactenus de in jus vocatione tractatum fuerit, convenienter nunc hic titulus de Edendo subjicitur; cum natura vocatio prior sit, editio posterior. ¦ Etsi namq; Johannes Vetus interpres, & cum ipso *Hubertus Giphan. in disp. de distrib. jur. th.144. item Cujac. in parat. C. de edend. & Vultei. ad tit. Inst. de act.* censeant, editionẽ olim ante in jus vocationem factam fuisse: assertionisq; suæ probabilia videantur habere fundamenta: in contrariam tamen sententiam communiter itum est, quam etiam defendunt. *Don. 17. com. 3. & 23. com. 3. P. Pittæus in collat. legum Mosaicarum & civil. ad tit. 2. pag. 80. Ioan. de Blanasco*

ad tit.

ad tit. inst. de Actionibus. quæst. quando editio fieri debeat? Quorum sententia comprobatur *per §. final. Inst. de pœn. tem. litig. ubi dicitur.* Actionum instituendarum initium ab in jus vocando proficisci debere, *item auth. offeratur. C. de lit. contest. Nov. 53. c. 2. §. sancimus*, ubi libellus offerri debet ei, qui in jus vocatus est ἐπειδὰν ὑπόμνησις προσενεχθείη τινὶ, Undè patet in jus vocationem omninò præcessisse. Tertiò comprobatur hoc idem ex serie Pandectarum; in quà primò de in jus vocando: post deinde de edendo tractatur. Non obstat ordo & series Codicis, non obstant etiam leges sub tit. de in jus vocando, & sub tit. de Edendo positæ: quarum illæ quæ sub tit. de Edendo ponuntur, desumtæ sunt, *ex Vlpian. lib. 4. & Pauli lib. 3.* ad edictum; cum tamen eæ, quæ positæ sunt sub tit. de in jus vocando, deprompta sint, *ex Vlpian. lib. 5. & Pauli lib. 4.* ad Edictum: ex quibus luce meridianâ clarius apparere putant, in edicto perpetuo prius de Edendo, postea de in jus vocando actum fuisse. Nam ut Johannes de Blanasco rectè ait: Seriei Codicis, series Digest. opponi potest. Et verò constat, ordinem in veteri jure digerendo religiosius servatum esse, quàm in Impp. constitutionibus computandis. Deindè cum Donello omnibus adductis argumentis, una quasi fidelia satisfieri potest, si dica-

dicamus: alium ordinem esse cogitandi, & se comparandi: alium faciendi, & exequendi quod constitueris. De judicio si cogitare voles, & te comparare, necesse erit prius habeas libellum in promtu, ut ei, quem voces, offeras. At si judicium provisum jam voles exequi, & id, de quo quæritur, voles experiri, non aliter naturâ poteris, quàm ut prius in jus voces adversarium, ac deinde cur voces, ostendas, id est, libellum edas. Ergo agendi ordine vocatio prior est, editio sequitur: Atq; hoc, ut videtur, rectius. Est enim hic ordo naturalis, & instituendæ præsenti cum alio, actioni solus conveniens. Nec verò aliter jus fuit veteribus, quàm ut ante in jus vocari oporteret adversarium, quàm ei actio ederetur. *Vide latiùs Dionell. d. lib. 23. c. 3.*

Agitur autem sub hoc titulo de triplici editione, nimirum actionis, rationum, & instrumentorum.

Actionis editio omninò necessaria est. *l. 1. in pr.*

Quidnam autem sit actionem edere, proponitur *in §. 1.*

Editio rationum his ferè capitibus includitur à Duaren.

1. Quisnam rationes edere debeat?

Deindè, cui debeat?

3. Quomodo debeat?

4. Si

4.Si non edantur, quænam competat actio?

Edere verò rationes debent argentarij. *l. prætor. 4. l. argentarius 10. in pr.* à quorum munere, & officio fæminæ remotæ videntur. *l. 12,*

Item edere debent rationes numularij *l. 9. §. 2.*

Item, qui argentario juris successores extiterunt. *d. l 4. l. 6. §. 8. d. l. 9. §. 1.*

Item Actor Reo suas rationes edere compellitur; licet Reus Actori non æquè, nisi ex causa, quam judex æquam arbitratus fuerit, *l. 1. l. qui accusare. l. non est novum. l. justum. l. fin. C. h. t.*

Deinceps ei ratio editur, ad quem pertinet, si juraverit, se non calumniæ causa postulare. *l. 6. §. 2. & 5. l. 9. §. fin.*

Ipsi verò argentario, vel ei, qui iterum edi postulaverit, regulariter non editur, nisi ex justâ causâ. *d. l. 6. §. prætor. & §. veluti.*

Tertiò ipsæ rationes cum die & consule edi debent *l. 1. §. 2.* Et debet edi in loco, in quo quis argentariam exercuit, *l. 4. §. fin. & l. 5.*

Tandem si argentarius post decretum prætoris dolo malo non edat, agitur ad interesse. *d. l. 6. §. 4. l. 8. h. l. 10. §. 3. h.*

Competit autem hæc actio heredi quoq;, non tamen datur adversus heredem.

Instrumentorum exempla sunt etiam edēda ante judicium, idq; sine consule, & die, *d. l. 1.*

d.l.1.§.2. Quæ quidem editio nec ſubſcriptionem deſiderat. *l. 11. h.*

Nemo tamen alteri inſtrumentum edere, quo adverſus eum uti non vult, compellitur, niſi in certis capitibus. *l. 3. l. procurator.* C. *eod.*

Planè legatarius teſtamentum heredi edere non compellitur. *l. 2.*

Atq; ſic ferè diſpoſuit hunc titulum Fr. Duarenus.

Ad titulum XIV.

De Pactis.

LOco paratitlorum hic eſſe poſſit tractatus meus methodicus De pactis, in lucem antihac emiſſus.

Cujus in primo capite, de Notatione.
2. de Synonymis.
3. de Definitione.
4. de Varijs diviſionibus pacti tractatur.

Quinam autem, & de quibus rebus paciſci poſsint, agitur *c. 5. & 6.*

De adjuncto pactorum. *cap. 7.*

De Effectu ſive vi ac poteſtate pactorũ *c. 8.*

Contraria pactorum continentur. *c. 9.*

Ad titulum ultimum libri Secundi.

De transactionibus.

Paratitla.

Sicut

SIcut pacto lis gratuitò remittitur plerunq;, sic transactione quoq;, sed non gratuitò, verùm aliquo invicem accepto lis remitti solet. *l.1.h.t.*

Est enim transactio conventio de re dubia,& lite incerta,nondum finita,aliquo dato,retento vel promisso. *l.1.hic, l.1. §.3. supr.de pact.l.2.l.38.* c.*h.t.*

Fit autem transactio nudo pacto, acceptilatione, vel per Aquilianam stipulationem. *l.2.l.4.5.l.15.hic.*

Personas,quibus transigere licet,quod attinet, sunt eædem, quæ jus habent etiam paciscendi. Proinde minus de ijs sub hoc tit.dicitur. Possunt enim transigere pupillus,minor, quatenus conditionem suam meliorem faciunt,& alij,de quibus supra.

Mutus tamen & surdus & absens stipulatione transigere nequit, *arg. §. 7. Inst.de inutil. stipul.*

Dubitatum etiam fuit de quibusdam personis, utrum ijs transigere liceat, veluti de procuratore,de quo in *l.58. 60, 63.* De Procurat.*l.17 §.fin.de jurej.* Item de procuratore Cæsaris. *de quo in l.13.hic.* Item defensore civitatis. *de quo in l.34.§.defensor.De jurejur.* Etiam de patre, quatenus ei liceat in bonis filiorum transigere (in castrensibus non potest pater.) *De quo in l.10.hic.* Et tandem de eo, qui mente

D qui-

quidem sanus est, sed æger corpore, *de quo in l. 27. C. hoc tit.*

Res verò veniunt in transactionem omnes, modò sint litigiosæ & dubiæ. *l.1. hîc.* sive civiles, sive criminales, sangvinariæ. *l. transigere. 18. C. h. t.*

Atq; ita quoq; de alimentis transigere licet, auctore Prætore, *qua de re agit l. 7, in fin. & tota. l. 8.*

Quinimò potest transigi de rebus non litigiosis, sed certis, modò metus litis subsit. *l. 2. l. 16. C. hoc tit.*

Etiam de re judicata, si sententia lata possit infirmari. *de qua re in l. 8. § 1. & 2. & l. 11. h.*

De controversijs tamen ex testamento proficiscentibus transigi nequit. *l. 6. h. t.*

Sicut nec de alimentis futuris, ultima voluntate concessis, sine Prætoris decreto. *d. l. 8.*

Nec transigere licet de matrimonio dissolvendo, *c. fin. extr, de transact.*

Nec de criminibus sangvinis pœnam non ingerentibus. *d. l. transigere, 18. C. h. t.*

Quomodo transactio rectè fiat, dictum fuit supra, *& latißimè tradit Duarenus ad tt. de transact. c. 3.*

Finis transactionis est, ut lites finiantur. *l. 1 l. 10. C. h. t.*

Vis autem & effectus transactionis non minor, quàm rei judicatæ. *l. 20. C. h. t.*

Ius

Jus tamen cæterorum privatis pactionibus & transactione non læditur. Quæ regula proponitur *in l.3.h.* & exemplis comprobatur in plerisq; *ll.sub h.t.* propositis.

LIBER TERTIUS.

Ad titulum I.

De postulando.

Paratitla.

POstulare est desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Breviter: Postulare nihil aliud est, quàm advocati munere fungi.

Sua sit autem dignitas Prætoris, ne sine delectu passim apud ipsum postuletur *in pr.l.*

Quare non omnibus postulare licet.

Sicut autem in alijs prohibitorijs edictis: sic hic quoq; cognitis personis prohibitis, sciemus, quibus permissum sit postulare.

Sunt verò tres ordines eorum, qui prohibentur postulare! Quidam enim in totum prohibentur postulare nec pro se, nec pro alijs: 2. Quidam pro se possunt, pro alijs prohibentur: 3. Quidam pro certis duntaxat personis, & pro se postulare possunt. *l.1.§.1.*

De primo ordine ſunt minores 17. annis. & ſurdus *l.1.§.3.quibus addit Donell.mutum & ſervum 18.com.3.*

In ſecundo gradu ſunt mulier, cæcus *de quibus in §.5.* Item infames, quales ſunt muliebria paſſi, capitali crimine aut calumniæ cauſa publico judicio damnati, & qui operas ſuas locaverunt cum beſtijs pugnare, *de quib. §.6.*

In tertio ordine ſunt, qui edicto ut infames notantur, *De quib. §.8. & t. ſeq.* & quædam aliæ perſonæ, quæ veteribus ll. ſunt expreſſæ, *de quib. §. 8.* Hi enim niſi impetrata in integrum reſtitutione, *de qua §. 9. & 10.* ad poſtulandum non admittuntur, præterquam pro certis quibusdam perſonis, *de quib. in §. fin. l.1. & 4. & ll. ſeqq.*

Cæterum hi ferè prohibentur Prætoris Edicto.

Nonnunquam verò à Magiſtratu quoq; poſtulare prohibentur, vel ad tempus, vel in perpetuum, vel certo loco, *de qua re tractatur. l.6.§.1.l.8.& 9.*

Non poteſt etiam Decurio adverſus patriam ſuam eſſe Advocatus, exceptis quibusdam perſonis. *l.pen.§.1.*

Earundem perſonarum favore receptum eſt etiam, ut poſſint aliqui adverſus fiſcum advocare. *de quo l.pen. in pr. & l.fin.*

Sicut etiam ij, qui non ſponte, ſed neceſſariò

ſariò officio funguntur, poſtulare poſſunt. *l. 6. in pr.*

Illud generale, quod, ex quacunq; cauſa quis prohibeatur poſtulare, ne conſentiente quidem adverſario poſſit. *l. 7.* Atq; de his *in h. t.*

Aliâs multo plura requiruntur in Advocatis, velut, ut ſint Catholicæ religionis, ut ſint diſerti, ut duplex examen ſuſtinuerint, ut ſint immatriculati cum ſimill. de quibus hic nihil. Sicut nec de officio Advocatorum, & poteſtate in causâ ſuſceptâ: nec de præmijs ipſorum: nec de pænis neglecti officij, cum reliquis, *de quibus omnibus ſparſim in t. C. de poſt. & ordine tractatur ab Hug. Don. 18. com. 3. & ſeq.*

Ad titulum II.

De his, qui infamia notantur.

Paratitla.

INter eos, qui removentur à poſtulando, optima fuit pars eorum, qui ſunt infames, Edictum autem de poſtulando non adjiciebat, quinam eſſent infames, atq; ita quæſtio manebat inexplicata, quinam eſſent ij, quos dicimus infames. Hos ob eam cauſam. Prætor hoc ſequenti edicto complexus eſt. Atq; hæc cauſa eſt, cur edicto de poſtulando ſubjiciatur hic *& in C. titulus, De infamib.* Licet etiam aliâs infamium cognitio locum habeat in

 accu-

accuſationibus, teſtimonijs dicendis, dignitatibus ambiendis &c. Cæterum hic titulus duas ferè partes habet.

1. Edictum ipſum Prætoris, de his, qui notantur infamia, quod continetur *in l. 1.*

Deindè ejusdem edicti declarationem & explicationem, quæ continetur in reliquis ferè plerisq; *ſub h. t. ll.* Illa particula Edicti *qui ab exercitu ignominiæ cauſa dimiſſus erit*, explicatur *in l. 2.*

Illa: *Qui artis ludicræ pronunciandivè cauſa in ſcenam prodierit*, explicatur *in l. 2. § fin. l. 3. & l. 4.*

Illa: *Qui lenocinium fecerit*, explicatur *in l. 4. § 2.*

Illa: *Qui in judicio publico &c. in l. 4. §. pen. l. 15. 16. 17. 18. & 19.*

Illa: *Qui furti, vi bonor. raptor. &c. in l. 4. §. fin. l. 5. 6. 7.*

Illa: *Qui pro ſocio &c. in l. 6. §. mandati.*

Illa: *Qui eam, quæ in poteſtate ejus eſſet. &c. in l. 8. 9. 10. 11. & l. 23. & l. fin.*

In cæteris ll. alia quædam tractantur infamiæ genera, quæ non ex edicto, ſed ex alijs juris civilis partibus originem ſumſerunt.

Ad titulum III.

De procuratoribus.
Et
Defenſoribus

Para-

Paratitla.

ADvocatis proximi ſuntProcuratores,quibus & ipſis ſimiliter in judicijs utimur. Hinc titulis, *De poſtul. & de Advocat.* Subjecti ſunt tituli. *De procur.* tàm in ff. quàm in C. & in perpetuo quoq; Edicto, interſperſo ſaltem titulo,De infamibus.

Differunt autem Procuratores ab Advocatis multis modis.

1. Advocatus tantum ad judicium conſtituitur: Procurator etiam ad extrajudicialia negotia.

2. Procurator mandatum habet: Advocatus non item.

3. Advocatus clientem habet: Procurator dominum.

4. In Advocato requiritur juris peritia, & facundia; non item in Procuratore.

5. Advocatus concipit libellos forenſes, non item Procurator.

6. Procurator ſatisdat: Advocatus non ſatisdat

7. Advocatus in judicio præſtat jusjurandum præſcriptum *in l. rem non novam. §. patroni. C. De judic.* Non ita Procurator.

8. Procurator poſt litem conteſtatam fit dominus litis. Advocatus non item.

9. Advocati munus magis laudabile eſt, quàm Procuratoris.

10. Advocati multa habent præmia & privilegia.

11. Advocatus poteſt adhiberi omnibus cauſis, etiam criminalibus & popularibus: non ita Procurator.

12. Procurator, ſi malè cauſam adminiſtret, mandati tenetur. Advocatus tantum de dolo, *vide Donell. 8. com. 3.*

Quæ continentur in hoc tit. in breviſſima paratitla optimè ſunt redacta à Barone in manualibus. Sunt hæc ferè capita:

1. Quis Procurator: Quis Defenſor.
2. Cur Procuratores conſtituantur.
3. Qui Procuratores conſtituere poſſint.
4. Quis conſtitui Procurator poſſit, quis non.
5. Quibus in cauſis.
6. Quomodo Procuratores conſtituantur.
7. Quæ ſint partes & quod officium Procuratoris.
8. Multa interſperguntur de mandato. &c.

Ad titulum IV.

Quod cujusq; univerſitatis nomine, vel contra eam agatur.

Ad Rubricam.

Meri-

MEritò conjungitur hic titulus cum superiore: quoniam in illo tractatum fuit de procuratoribus privatorum; In hoc verò tractatur de actore seu Syndico, qui nihil est aliud ferè, quam procurator corporis alicujus. Deindè complura imò verò pleraq; communia sunt inter hunc actorem & procuratorem. *De quibus consulatur Cujac. in lib. 9. ad edict. in explic. l. 6. h. t.*

Ad titulum V.

De Negotijs gestis.

Paratitla.

HActenus de ijs, qui aliena negotia gerũt, eorundem mandatu. Nunc de ijs, qui sine mandatu. Quo nomine duplex potissimum competit actio, directa & contraria *l. 2.*

Totius autem tituli contenta sub hæc sex capita possunt redigi:

1. Cui competat directa negotiorum gestorum actio.
2. Adversus quem illa competat.
3. Ad quid competat, & quid præstare teneatur, hac actione conventus.
4. Cui competat contraria negotiorum gestorum actio.
5. Adversus quem hæc actio competat.
6. Ad quid competat.

Ad titulum VI.

De Calumniatoribus.

Paratitla.

IN edicto perpetuo post t. de negotijs gestis statim subjiciebatur t. de Calumniatoribus. Quem ordinem etiam in ordinatione Pandectarum Tribonianus secutus est.

Nulla autem alia ratio conjungendi & combinandi hos titulos, quam commune negotij nomen, licet significatio negotij sit in utroq; diversissima, cum superior sit de negotijs, gestis, utiliter vel inutiliter: hic non sit de ijs, qui negotium gerunt, sed de ijs qui pecuniam accipiunt, ut negotium faciant alijs. Cætera paratitla fecit præ omnibus alijs optimè VVesenb.

LIBER QUARTUS.

Ad titulum I.

De in integrum restitutionibus.

Paratitla.

TÀ πρῶτα, in quibus adhuc versamur, continent præparationem judiciorum. Ad eam autem etiam restitutiones in integrum pertinent. Si enim actio competens sit omissa, propter justam causam restitui debet,

debet, ut quis agere poſſit. Pertinet igitur hic tr. ad præparationem certè judiciorum. *Duaren. De in integr. reſtit. c. 1.* Eſt autem reſtitutio in integrum, amiſſæ cauſæ redintegratio, de quâ definitione, *vide plura apud Vult. 2. I. R. 18. & apud Donell. 21. com. 4.* Hujus tituli hæc ferè ſunt capita. In *l. 1.* commendat materiam hanc ab utilitate ſive æquitate. In *l. 3.* proponitur præceptum, quo conſtituitur, ut reſtitutiones fiant cauſa cognita. Qualesnam autem ſint cauſæ, *de eo tractatur in l. 1. 2. & 4. 6. & seqq.* In *l. 4.* conſtituitur reſtitutionem propter rem minimam non dari. In *l. 5.* aliud caput tractatur, nimirum non videri excluſum, qui habet reſtitutionem.

Ad titulum II.

Quod metus cauſa geſtum erit.

Paratitla.

In tit. ſuperiori generaliter dictum fuit, de in integrum reſtitutionibus. Poſthac ſubjicientur ſpecies ſeu cauſæ reſtitut. in integrum. Sunt autem cauſæ aliæ, quæ in majorennibus & minoribus obtinent: aliæ, quæ ſaltem in minoribus. Ex illarum numero refertur h. prima ſcil. cauſa metus. Quod enim metu geſtum eſt, Prætor edixit, ſe ratum non habiturum. Edictum Prætoris duabus rebus conti-

contininetur, atq; totidem ferè ſunt tituli hujus partes.

Primum eſt cauſa propter quam Prætor auxilium ſuum impertit.

Secundum eſt ipſum Prætoris auxilium. Cauſſa auxilij eſt, ſi quid metus cauſsâ geſtum eſt, In hac cauſsa duo ſunt iterum ſpectanda, nim. geſtum & gerendi modus.

Geſtum continet alienationem, liberationem, promiſſionem, & requirit omninò, ut ex geſto quid abſit.

Gerendi modus requirit quinq;:

I. Ut metus interveniat.

II. Ut juſtus metus.

III. Ut hic metus ab alio inferatur.

IV. Ut inferatur illicitè & injuriâ.

V. Ut quod geritur, geratur hujus ipſius metus cauſsâ. Auxilium prætoris in eo, ut quod metu amiſſum eſt, reſtituatur vim paſſo. Auxilij duplex via ſub *h. t.* proponitur, nim. ipſa reſtitutio in integrum, & deindè actio, quod metus cauſa, De quâ tamen utraq; quæritur.

1. Cuinam competat.

2. Adverſus quem competat.

3. Ad quid.

4, Quæ in utramq; veniant. Hæc ferè hujus tit. capita conſtituit *Don. 15. com. 38.*

Ad

Ad titulum III.

De dolo malo.

Paratitla.

VT metu ſua dominis auferuntur, ita & dolo malo. Tantum hoc intereſt, quod vis aperta eſt: dolus occulte & per ſimulationemide mmolitur. Undè bene. *à Cic. 1.offic.* ſcriptum eſt, vim & fraudem injuſticiæ ſpecies eſſe pariter reprehendendas. Hoc unũ intereſſe, quod vis ſit Leonis: fraus verò vulpeculæ. Meritò igitur poſt metum de dolo ſubijcitur. De dolo duo genera actionum conſtituta ſunt: Unum adverſus eum, qui decepit, Alterum adverſus eum, qui locupletior alieno dolo factus eſt, ſive doli particeps ſit, ſive non. De illo genere videamus, cujus eſt propria actio, quæ de dolo dicitur, Atque de hac agitur *ſub tit. ff. & C. h. t.* Complectitur autem hoc edictum, de quo ſub h. t. ea, quæ ad hanc actionem pertinent.

1. Cauſam actionis.

2. Quæ ea actione continentur ad juris noſtri executionem, ut puta primo petitionem actionis propriam, deindè perſonas, quib9 actio cõpetat, tertiò perſonas adverſus quas hæc actio competat. Et tandem tempus ſpecialiter huic actioni tributum. Videamus primò de cauſa, ubi prius videbimus, in qui-

bus II.

bus ll. quæq; pars generaliter & maxima suâ ex parte contineatur. Causa *in l. 1. de dolo.* Petitio *in l. arbitrio. h. t. Cui actio competat. in l. item h. t. Adversus quem l. sed &* Tempus actioni præfinitum est *in l. fin. C. h. t.*

Causa actionis quatuor conditionibus continetur.

1. Si quid factum sit.

2. Si quid factum sit dolo malo.

3. Si de eo non erit alia actio.

4. Si justa caussa esse videbitur cur detur actio. De quibus omnibus in multis sub h. t. capitibus. Et præsertim, quando quid dolo factum sit, ex facto debet intelligi; iccirco id ex conjecturis est æstimandum, *cujus exempla in l. 7. §. servus. in l. 9. 18. §. de eo. & §. dolo. l. 20. 23. l. 25. 27. 32. 33. 35. 53. pen. & fin.* Et hæc de caussa.

Ex hac caussa actio de dolo, quæ est in personam, atq; proinde ex obligatione: Atq; iterum ex obligatione, quæ est ex maleficio. Estq; arbitraria. Nam nisi res restituitur, sequitur sententia, quæ pendet ex arbitrio. Petitio & intentio hujus actionis est, ut quod dolo malo amissum est, restituatur arbitrio & jussu judicis. Datur autem actio ei cujus interest, dolo quid factum non esse. Adversus omnem, cujus dolo factum est id, de quo agitur. E. si quis non sit capax doli, aut dolum

lum non admisit non tenetur. Et hæc omnia tractantur in *ll. sub h. t.*

Ultimum quod restat præteritur in h. t. Sed supplendum est *ex l. fin. C. h. t.* De quo paulo plura dicemus. Et continet hoc caput tempus huic actioni præscriptum, quod olim quidem fuit annus continuus, nunc verò biennium continuum est, ex Const. Constantini *d. l. fin. C. h. t. Cujac. in libr. de præscript. cap. 21.* In hac præfinitione Constantini aliqua sunt nova à vulgaribus regulis exorbitantia. 1. Quod præter exempla aliarum actionum, quæ ex maleficio nascuntur, pro anno utili constituit Constantinus biennium continuum. Rectè & cum ratione. Nam qui pro uno anno dedit duos, eccur non posset hoc requirere, ut continui anni requirantur? Deindè suasit etiam hoc utilitas tollendarum controversiarum.

Alterum in hac constitutione singulare & novum esse videtur, quod constitutum est, ut hoc tempus statim cedat ex eo die quo dicitur dolus admissus, idque indistinctè sive adfuerit, sive absuerit is, qui dolum se passum esse conqueritur, Nec huic obstat *l. 3. C. hoc tit.* ubi Gordianus negat in actione de dolo computari ea tempora quibus deceptus reipub. causa abfuit. Nam scripsit hoc Gordianus ex tempore, quo adhuc

adhuc actio de dolo intra annum utilem constituta erat. Deindè *in l. 3. C. de dolo*, ei qui reipub. caussa abfuit in actione de dolo non computantur ea tempora cum effectu. Neq; obstat. l. Constantini Imper. Nam summo jure ex lege Constantini tempora decepto cederent, etiamsi Reipub. caussa abfuisset. Sed potest impetrare in integrum restitutionem ex alia parte edicti, quæ est de ijs caussis quibus majores in integrum restituuntur. Iterum singulare est *in d. const. fin.* quando in hoc etiam hanc actionem aliarum numero Constantinus exemit, quod solam hanc liceat dicere, quæ litis contestatione non perpetuetur. Poscis causam? Hæc omnia partim ob gravitatem hujus judicij constituta sunt, partim quod biennio ei actioni dato, satis id temporis visum est, ad actionem exercendam. Quæstio est residua, num post biennium hæc actio detur saltem in simplum? Et Respondetur, hactenus dari, quatenus ad eũ, qui dolo fecit, pervenit. *l. itaq; in fin. de dolo*. Quod si ad fraudatorem nihil pervenit, nulla quidem post biennium actio decepto superfutura est. Hæc omnia erudite *Donell. 15. com. 40. a. pag. 514. usq; ad pag. 530.*

Ad titulum IV.

De minoribus viginti quinq; Annis.

Para-

SEquitur jam tertia ſpecies edicti de in integrum reſtitutionibus, quæ tractat de minoribus. Et inter alia differt hæc reſtitutio ab alijs, quod non competat actionis jure, *de quo in l.24.in fin.h.t.* Cauſſa efficiens hujus reſtitutionis eſt edictum Prætoris. Cauſa impulſiva, læſio favorq; minorum. Forma, ut fiat apud Prætorem cauſa cognita &c. Finis, ut minor reſtituatur. Effectus, ut cum re reſtituantur fructus, intereſſe &c. Nos ut contrahamus, quæ ſub hoc & alijs ad hanc materiam titulis in C. tractantur, ad hæc capita referri commodè poſſe ſingula cenſemus.

Ut 1. videatur, ad quas perſonas reſtitutio hujus edicti pertineat? an ad alias etiam, quam minores? (puta ad Eccleſiam, furioſum, prodigum) an ad omnes minores etiam ſervos & filiosfam?

Deindè competatnè tum etiam ſi læſus non ſit minor, vel læſus quidem, ſed non facilitate ſua.

Tertium caput; adverſus quos & adverſus quæ facta competat hæc reſtitutio? Verbi gratia, an etiam adverſus eos cum quibus nihil contractum eſt?

4. In quibus cauſſis denegetur in integrum reſtitutio? Verbi gratia, denegatur in libertate.

5. De modo hujus restitutionis, nimirum apud quem ea fieri debeat? & quomodo?

6. De temporibus in integrum restitutionis, videlicet quando & intra quæ tempora peti debeat?

Ultimò, De varijs effectibus hujus restitutionis, ratione fructuum, usurarum &c. Ad hanc seriem non parum conducet ille ordo, quem servat. *Donell. 21. com. 61. & septem seqq.*

Ad titulum V.

De Capite minutis.

Paratitla.

INter alia restitutionis capita status etiam mutatio refertur *in l. 2. de in integr. restit.* Unde secundum Edictum Prætoris hic titulus meritò subjicitur. Est autem capitis minutio, prioris status mutatio. Atq; vel magna vel parva. Magna vel maxima vel media, *de quibus in l. fin.* & alijs plerisq; sub *hujus tit. ll.* Contingit autem hæc capitis minutio vel in creditore, vel in debitore. In creditore nunquam parit restitutionem. In debitore maxima & media etiam non pariunt restitutionem; sed saltem minima; & quidem in paucissimis, imò, si Donello credimus, in uno saltem casu. Quin potius hodie nullius hoc caput restitutionis est usus. Quod cum ita sit, omnis restitutio, quæ propter status mu-

tatio-

tationem olim proposita erat, simul & totum edictum de capite minutis tollatur, *inquit Donell.21.com.5.pag.490.*

Ad titulum VI.

Ex quibus causis majores viginti quinq; annis in integrum restituuntur.

Paratitla.

QUinta restitutionis secundum ordinem edicti perpetui nunc subjicitur species, cujus causa est absentia, eaq; vel necessaria, vel probabilis, ne illa vel obsit alicui, vel cum alterius damno alteri prosit. Totus titulus sub hæc ferè capita referri potest.

1. Quænam sit justa absentia? *de quo usq; ad l.21.item in l.32. 33. & plerisq; alijs seqq. sub h.t.ll.*

2. Deindè cui competat hæc actio? *de quo in ipsis edicti verbis, & in l. sed esse, §. fin. h.t.*

3. Adversus quos, *de quo pariter in verbis edicti.*

4. Et tandem ad quid, nimirum, ut læsi in integrum restituantur, *de quo potißimum in §. rursus. Inst. de act.* Illud unicum hic notandum est, longè favorabiliorem esse restitutionem majorum, quàm illa quæ conceditur minoribus. *Gomez. in §. rursus. Inst. de act. Cephal. cons. 146. n. 43. Alex. & Iason. in l. cum quodam. De acquir. hered.*

De alienatione judicij mutandi causa facta.

Paratitla.

SExta caussa restitutionis hîc subjicitur, unde non est mirandum, quod hic titulus in hunc locum sit collocatus. Tractatur autem hoc capite summatim, de alienatione judicij mutandi causâ, factâ, nimirum ut duriorem faciat causam adversarij. Causæ hujus actionis consistunt in alienatione: Inq; ijs quatuor requiruntur.

1. Ut facta sit alienatio.
2. Ut judicij mutandi causa sit facta.
3. Ut sit facta dolo malo.
4. Ut intersit actoris. In alienatione iterum duo requiruntur.

1. Ut dominium rei suæ amittatur.
2. Ut dominium ejus rei in alium transferatur.

In plerisq; autem legibus sub h. t. positis explicatur, quid sit alienatio, judicij mutandi causa facta, & in quibus casibus contingat, ut in l. 1. 2. 3. 4. 5. & reliq. seqq.

Secundum caput est: Cui competat hæc actio, & adversus quem, *de quo in l. 4. §. fin. & ll. seqq.*

Tertium, ad quid detur hæc actio, *de quo in l.1.& l.4.§.5.in pr.*

Ultimum, Quamdiu duret, *de quo in l.6.*

Ad titulum VIII.

De receptis, qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.

Paratitla.

POnitur hic titulus inter τὰ πρῶτα, quoniam prima pars continet præparatoria judiciorum. Plerumq; autem ante judicium arbiter conſenſu litigatorum eligitur, veluti domeſticus diſceptator. Nam omnibus alijs ſubterfugijs deficientibus, ſolent litigatores ad judiciorum moras, & ſumtus, cæteraq; incommoda declinanda, privato alicui bono viro controverſiam dijudicandam credere, inq; eum ita compromittere, ut quicquid ſtatuerit, ratum & firmum, & pro judicato habeatur. Cæterum ut facilius in hujus materiæ lectione verſari poſſitis, hæc ſequentia capita tenenda erunt.

1. Unde dicatur compromiſſum, Receptum, arbitrium.
2. Quid ſint hæc.
3. Quinam poſſint eſſe arbitri.

4. Quinam litigatores consentire possint in arbitros, & quæ in consensu requirantur.

5. Quæ arbitri servare debeant, tàm ante sententiam, quàm in genere sententiæ, & ejusdem circumstantijs.

6. Quomodo qui receperit cogi possit ad sententiam dicendam, & de justis causis, propter quas cogi nequeat.

7. Quæ potestas, & quod officium arbitri.

8. De effectu sententiæ & executione rei ab arbitro judicatæ.

9. Et ult. Quomodo compromissum, itemq; arbitrium & receptum dissolvatur. Quæ omnia scilicet satis confusè tractant. Duar. & Nicol. Cisner. in explicatione hujus tituli. *Donell. lib. fin. com. 10. usq; ad finem, & aliqua Coras. 4. miscell. 18. & lib. 5. c. 11.*

Ad titulum IX.

Nautæ, Caupones, stabularij, ut recepta restituant.

Paratitla.

ZAsio videtur vix commodè continuari posse hunc tit. cum præcedenti. Cujacius strenuus aliâs methodi Justinianeæ propugnator homonymiam facere dicit, ut hic tit. præ-

præcedenti ſubdatur, quamvis alieno, & quaſi deſerto loco. Potuiſſe eadem ratione etiam ſubjici veterem actionem receptitiam. VVeſenbecius tamen generalem eſſe tituli ſuperioris inſcriptionem de receptis. Undè cum non modò arbitri ſententiam ſe dicturos, ſed etiam nautæ, caupones, ſtabularij ſe res ſibi creditas, cuſtodituros recipiant: Hinc rectè atq; ordine fieri, ut poſtquam oſtenſum eſt, quemadmodum arbitri ſuſcepto arbitrio ſatisfacere cogantur, etiam declaremus, quomodo hi ex recepto obligentur. Sic etiam *Contius lib. 1. diſp. c. 4. qui* ex profeſſo ſcripſit contra *Cujac.* & ſcribit eos, qui putant hunc titulum perperam à Triboniano hoc loco ſubjectum, quaſi minimè ſuperiori cõgruentem, non ſatis attendiſſe, quid in utroq; titulo Recipere & Receptum ſignificet, Recipere verò in utroq; titulo eſſe, nudo pacto abſq; ſtipulatione promittere, ſe aliquid facturum, veluti ſententiam dicturum, vel res in navem illatas ſalvas cuſtoditurum. Cæterum tractat hic titulus de damno & furto, quod in navi, caupona, aut ſtabulo factum eſt, & conſtitutæ ex hac cauſa duæ leguntur actiones: quarum prima eſt de ijs, quæ nautæ, caupones, ſtabularij à vectoribus aut hoſpitibus invecta, importata, inductave ſalva

ſore receperunt, ad hoc, ut recepta reſtituant, ac ni reſtituant, in id, quanti ea res eſt, quæ ſalva non reſtituitur. *Et de hac tractatur usq; ad l. pen. §. fin.* Altera eſt quaſi ex maleficio, quæ eſt adverſus easdem perſonas in duplum, nimirum ſi contigerit damnum ab aliquo eorum, quorum opera nautæ, caupones, ſtabularij utuntur. *Et de hac in l. pen. §. fin. & l. fin.*

Finis Paratitlorum

ἐν τα πρῶτα.



REPE-

REPETITIO

Legis 3. D.

DE JURISDICTIONE;

Habita VVitebergæ in auditorio Iureconsultorum 6. Martij 601.

RESPONDENTE

HENRICO CRAUTHOFIO

Neobrandeb. Megaloburg.

THESIS I.

ALiqua ponunt & non pauca, pro commendatione Legis præsentis. Nos eam abundè collaudari putabimus, ubi dicatur: Legem, *imperium*, in alias imperium, & arduam materiam habere.

II.

Ipsius auctorem Tyrium fecere colonum; hominem impensè Christianis infensum, ut & historiæ contestantur, & centones ipsiusmet: Attamen aliàs ingenij summi virum, ac post Papinianum & Paulum, ferè Coryphæum legum prudentum.

III.

Desumta lex est ex lib. 2. de officio Quæstoris, juxta Florentinam lectionem, quam etiam Labittus & Ant. Augustinus retinent: vel ut Cujacius emendat, & Dn. Georgius

 Eberli-

Eberlinus non ſine cauſſa probat, Ex libro de officio Quæſtoris ſingulari.

IV.

Curtius junior hanc L. conjungit cum L. 1. de officio ejus cui mand. eſt juriſd. & ter aſſerit, hanc etiam eſſe Ulpiani; ſed toties erravit, quoties poſuit, inquit Calæfatus.

V.

Apud Magiſtrum Turnonium hæc ſumma fit, forſan ex Bartolo: Juriſdictio dividitur in Imperium, & Juriſdictionem. Imperium dividitur in merum & mixtum. Quam reliqui quoq; ferè dixerunt omnes.

VI.

Nos equidem, Juriſdictionem aliquam generalem, quæ contineat imperium etiam: aliam ſpecialem, ſive ſimplicem ab imperio quovis nudam eſſe, contra Cujacianos & Alciatum; cum Coraſio, Duareno, Goveano, Calæfato, Val. Forſtero, reliquisq́; D D. communiter ipſi ſtatuimus.

VII.

Verùm in hac L. juriſdictionem ſimplicem explicari negamus. Inq́; eo Cujacium & Alciatum contra D D. ſequimur; multas ob cauſſas! ob eam quoque, quòd ipſe Paulus dicat, judicem dare poſſe hos, quibus id more conceſſum eſt, *propter vim Imperij.*

Expli-

VIII.

Explicantur igitur hîc, ut principium satis indicat, duo saltem termini, Merum & mixtum imperium; atq; ita non, ut definiantur; sed potiùs ut παραδειγματικῶς exemplis productis describantur, sicut adversus Angelum & alios rectè tradiderunt Alciatus, Cujacius, Calæfatus, VValtherus, & plerique.

IX.

Imperium, inquit textus Florentinus, *aut merum est, aut mixtum est*. Calæfatus advertit, quòd in Pandectis Florentinis videatur superfluè poni pluries verbum *est*, & in manu scripto certè, cujus exemplar bona fide præmisimus; una vice non legitur. Nec tamen protinus propterea lectionem mutavero.

X.

Goveanus his imperij gradibus non est contentus, sed triplex constituit imperium, Merum, Mixtum, & imperium, quod est jurisdictio. Rectè tamen refutatur à Vincentio Cabotio.

XI.

Merum imperium intelliges ita dictum, quòd sit purum, jurisdictioni simplici sive speciali non immixtum; ut Fulgos. Donellus, Vasquius, Cabot. Calæfat. & alij rectè docent, non quòd sit liberum, nulli necessitati subjectum, ut post Bartolum voluit Alciatus:

ciatus: nec quòd ſit vehementiſsimum, ut Goveanus; nec quòd ſit ſummum, ut apud Muſcornium Optinellus.

XII.

Merum est, inquit, *imperium, habere gladij potestatem, ad animadvertendum facinoroſos homines.* Evincit vel interjecta copula, non hic definiri merum imperium; ſed per exemplum uſu tritum depingi. Poteſt aliàs rectè definiri, quòd ſit imperium tributum ad animadvertendum facinoroſos homines.

XIII.

Dicit *habere gladij poteſtatem.* Qui veras definitiones tradi tradunt, varia comminiſcuntur. Dicunt etiam hoc: Verba in textu poſita virtualiter importare, quòd merum imperium ſit poteſtas animadvertendi. Nos contra, veras & logicas definitiones Ulpianum noluiſſe proponere.

XIIII.

Quid per gladium intelligit? Tentarunt aliqui, poſsitne defendi, quòd eo nomine gladius, inſigne Magiſtratus judicia publica exercentis, veniat. Sed nos idem non tentabimus.

XV.

Qualem igitur intelliget gladium, an materialem, an formalem? Sanè debet merum imperium definiri non materiali, ſed formali potiùs

potiùs quem dicunt, gladio. Nihil tamen vetat, quo minùs gladium hic materialiter accipere poſsimus.

XVI.

Dicit, *ad animadvertendum facinoroſos homines.* Calæfato videtur deficere dictio *IN*, cui & Codex noſter, & alij non pauci Doctores ſuffragantur. Nos putamus etiam Florentinam lectionem defendi poſſe.

XVII.

Subjicit: *Quod etiam poteſtas appellatur*, nimirum per eminentiam. Nam aliàs & mixtum imperium poteſtas eſt. Quod etſi non diceretur alibi: tamen inde ſatis intelligeremus, cùm Paulus tradat, in perſona Magiſtratuum Imperium poteſtatis verbo ſignificari. Mixtum enim imperium in perſona magiſtratuum conſideratur. Merum imperium ei competit, cui lex nominatim dedit.

XVIII.

Antequam ad mixtum accedamus, conſideremus quot imperij meri gradus ſint? Res de jure Romano certa, Doctorum commentis incerta fuit reddita. Alij ſeptem eſſe dicunt, fortè quòd illum numerum ſacrum, & inviolabilem exiſtimarent: Alij ſex, ſecundum comparationis gradus: Alij quatuor, ſecundum Elementa, &c.

Mirum,

XIX.

Mirum, quàm hîc & in gradibus & in eorum attributis vulgò peccent. Nos cum Caliſtrato tres conſtituamus, quorum unus pœnam capitis naturalis contineat; alter pœnam capitis civilis; tertius ad exiſtimationem pertineat.

XX.

Mixtum imperium ſic dici dicit Bartolus, quia capit à mero imperio, quod expeditur officio judicis nobili; à jurisdictione, quod reſpicit privatam utilitatē. Cum quo transeunt communiter D D. etiam Calæfatus.

XXI.

Dicemus potiùs inde nomen accepiſſe, quòd non merum ab omni jurisdictione purum ſit; ſed jurisdictionem annexam habeat, ſive quòd jurisdictioni ſit adjunctum & immixtum atq; cohærens. Plerisq; enim Magiſtratibus ultra jurisdictionem competit vis cogendi, atque ita ad jurisdictionem imperium nonnunquam accedit.

XXII.

Dices, cur igitur non potiùs jurisdictio mixta dicitur? Reſpondebo cum Donello, ſic dici nihil vetaret. Quia tamen eo caſu jurisdictio naturâ prior eſt, quam imperio adjuncto confirmari oportet, ideo magis imperium jurisdictioni accedere, eiq; cohærere & miſceri videtur.

XXIII.

Mixtum imperium definit Bartolus, quod ſit jurisdictio, quæ officio judicis nobili expeditur, privatam utilitatem reſpiciés. Malè.

XXIV.

I. Quoniam non eſt jurisdictio, ſed imperium. Secundò: Quoniam officium judicis nobile aliud, aliud mercenarium nullum eſt, ut ſentiunt Baro, Uſillus, Fr. de Claperijs, Forſterus, Giphanius, & alij graves viri. Tertio: Quoniam imperium mixtum non ſemper reſpicit privatam utilitatem.

XXV.

Alij definiunt aliter. Nos dicamus, mixtum imperium eſſe imperium cum jurisdictione civilium cauſſarum conjunctum, modicam coërcitionem continens.

XXVI.

Hujus imperij varios iterum comminiſcuntur gradus DD: Quos propugnant etiam Muſcornius & Calæfatus. Contrà tamen ſenſit Fr. de Clapperijs in concluſionibus. Nobis judicibus, pleraq; Doctorum tradita in hoc articulo, cum fundamentis legum non conſentiunt.

XXVII.

Ulpianus hic duo refert exempla. *Quòd in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit*, inquit; quibus ſatis probat, bonorum poſſeſſionis

dationem

dationem mixti imperij eſſe, ſicut rectè docent Duarenus, Coraſius, Cujacius, & alij pleriq;, fruſtra diſſentiente Goveano, Claper. & Ant. Fabro.

XXVIII.

Subjicit: *jurisdictio eſt etiam judicis dandi licentia.* Duarenus & alij plerique jurisdictionem ſimplicem hìc proponi cenſent. Nos tamen cum Cujacio & Alciato ſuprà ſtatuimus, judicis dandi licentiam non eſſe jurisdictionis ſimplicis! ſed potiùs imperij mixti.

XXIX.

Dicitur nimirum judicis dandi licentia jurisdictio, quatenus hæc ineſt imperio mixto. Quod particula *etiam*, quæ vim ἀναφορητικὴν habet, ſatis demonſtrat.

XXX.

Conſiſtit etiam imperium in mulctæ dictione: & jubere caveri prætoria ſtipulatione, & in poſſeſsionem mittere, imperij magis ſunt, quàm jurisdictionis, ut ait idem Ulpianus.

XXXI.

Addunt aliqui tutoris dationem. Verùm nos cum eodem Ulpiano eam nec imperij, nec jurisdictionis eſſe concludimus.

XXXII.

Ex his omnibus conſequenter deducitur:

1. In pr. Legis, Non ſuperfluè pluries poni verbum E S T.

2, Nec in deſcriptione meri imperii deficere particulam IN.

3. Nec cum Haloandro legendum: *Quòd in danda bonorum poſſeßione conſiſtit, ut jurisdictio judicis dandi licentia.*

4. Nec cum Viglio Zuich. pro *judicis dandi, jus dicendi.*

5. Nec cum Alciato, *judicis dandi licentiâ* in ſexto caſu.

6. Nec cum Coraſio, *jurisdictio eſt, & in judicis dandi licentiâ.*

7. Nec cum Hottomanno: *Mixtum eſt imperium, quod etiam jurisdictioni ineſt.*

8. Nec cum Goveano: *Quod in danda bonorum poſſeßione conſiſtit, jurisdictio eſt. Iurisdictio eſt etiam judicis dandi licentia.*

9. Nec cum Roberto: *Quod in danda bonorum poſſeßione conſiſtit, jurisdictio eſt, judices etiam dandi licentia.*

10. Nec cum Ant. Fabro, *Quæ in danda &c.* Pro *quòd in danda.*

11. Nec cum Pacio: *Mixtum eſt imperium, cui jurisdictio ineſt. Quod etiam in danda &c.*

12. Tandem lectionem Florentinam, & veterem, vulgarem, manu ſcriptam etiam noſtram, veriorem eſſe, nec aliquid im-

mutandum. Quod etiam Cabotius rectè defendit.

Deo sit laus.



DISPUTATIO JURIDICA,

DE IIS, QUÆ VULGO SOLENT MOVERI CIRCA L. 7. pr. §. 1. 2. 4. 5. & 6. ff. DE PACTIS;

Habita,

In VVitebergensium Academiâ

Anno 98. 2. Iunij in auditorio IureCons.

Respondente

REINERO von Roher/NOBILE VVestphalo.

THESIS I.

Fides sanctissimum humani pectoris bonum est; usq; adeò sui valitura momento, ut & hosti data servanda sit, secundum Hieron: etiam à privato, contra quàm Bartolo & aliis videtur; non tamen indistinctè se-

ctè secundum Præpositum, sed citra Reipub. damnum, ut Petro à Placa placuit; nec à Principe sub utilitatis specie violari debeat; quod malum Machiavellus tradidit: ut ne quidem subditi respectu damnorum sibi illatorum, si remissio propter necessitatem pacis publicæ, quamvis etiam invitis subditis, à principe facta sit, adversus hostem querelam instituere possint: dummodo subditi sint illius, qui bellum movit, aut bellum fuerit licitum, adversus Fulgos. monente Gailio.

II.

Etsi verò publica suadeat utilitas, ut non fides judicis impunitatem accusato promittentis servetur! & ne princeps quidem ad observantiam, si impunitum fore crimen promiserit, teneatur! quicquid cum comm. dissentiat Hippol. à Marsiliis: fugienti tamen ad locum privilegiatum reo, in id fides prodesse debet, ut in asylum restituatur! ut nec Salycetus ex unâ, nec Igneus ex altera parte satis abundè fecerit: atq; quoad primum casum ex confessione per veniam extortâ, condemnandus neutiquam est reus; nisi pòst perseveraverit, & legitima criminis adsint indicia, licet Menochius ea non requisierit, & in aliud totum adversus sit Archidiacon.

III.

Idq́; vel eò magis in ſalvo conductu valet, ut fides præſtita valeat; non à principe ſolùm data ſi fuerit, ſed & ſi ab altero judice (quod fieri poſſe, poſthabitis Cyni traditis, affirmavit rectè Phil. Francus) & non ſaltem quoad acceſſum, ut gl. voluit, ſed & in diſceſſu, ſecundum Romuleum: ut meritò non auditus fuerir Eckius, quando D. Lutherum ceu hoſtem fidei contra fidem à Carolo datam, damnatum cupiebat Vormaciæ! cùm & probationes ipſum legitimæ defecerint, & aliàs hæretico ſalvus conductus ſervandus ſit.

IV.

Nihil autem tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare! ut Edicti Prætorii, quo pacta conventa ſe ſervaturum Prætor edixit, æquitas licèt juri civili incognita, (non ἁπλῶς, ut Cujac. generaliter loquitur: quid enim de pactis legitimis?) naturalis tamen ſit, & ſic principes etiam vinciat, non vi generalis ubique gentium conſtitutionis, ut Garziæ voluiſſe videtur Bartolus; ſed rationis, ut Garzia tradit.

V.

Nunc ad rem. Vbi advertendum primò; neque cum gl. Cumanum à palmarum percuſſio-

cuſſione, neque à pace meliùs Iſidorum pactum nominare. Et aſtrictè nimis quaſi pacis actum pactum Baldus & Zabarella nuncupant: ac neſcio, num tutum ſatis ſit, præter omnium exemplarium fidem, à pacione pactum cum Hotoman. derivare. Aſt Vlpiano pactum à pactione rectè dicitur; idq́; poſt JCtos nec Perotto diſplicuit! & verum eſt, ſi non quoad literam, tamen intellectualiter, id eſt, ut ego Caccialupum interpretor, notatione logicâ, quam JCti, Stoicos imitati, præpoſuerunt.

VI.

Nec tamen inde ſequitur: pactionem uſu communi vel juris à pacto differre, ſi Connano credimus! licèt aliàs inter hæc vocabula diſcrimen agnoſci ſubtiliter poſſit, non quidem cum Duareno, quòd illud latius, hoc ſtrictius ſit! ſed cum Caccialupo, quòd illud actum paciſcendi, prout eſt in fieri, hoc prout eſt in eſſe conſummatus, demonſtret: adeò ut & pactum conventum à pactione nihil ſpecialiter habeat, licèt in jure, pro pacto nudo potiſſimùm uſurpetur: adeò ut nec conventioni tanquam ſpecies generi generaliter pactum ſubſit, ceu contra Cujacium Donellus obtinuit.

VII.

Nam certum in rem iſtam fundamentum

eſt, quòd ſignificatio pacti & generalis eſt, & ſpecialis, juxta Galiaulam; utraq; propria, quicquid cum Ripa Gozadin. dicat. Et ideo dupliciter operam luſiſſe nobis videtur Cujac. tum quòd contractum pacto ſubeſſe, tanquam ſpeciem, inficias it; cujus contrarium Donellus habet; tum quòd nudum pactum à pacto planè nihil diſtinguit, & NUDUM verbum id non ad diſcrimen eorum pactorum, quæ nuda non ſunt, adhibet; ſed Epitheton magis pacti perpetuum quàm διαστολὴν conſtituit; quod Vlpiano contrarium eſt, & Donello noſtro.

VIII.

Pactum enim privatum aut legitimum eſt, aut jurisgent. Vtrumque vero vel cum cauſſa ſive negotio! vel ſine cauſſa: Et ſic non incommodè Duarenus pactorum ſive conventionum legitimarum exempla ſtipulationem & literarũ obligationem attulit: quamvis & alia pacta legitima ſint, quæ contractus naturam non aſſumunt, velut ex donatione ſimilibusq; manifeſtum fit: ut imperfecta fallat partium enumeratione Forcatulus, quando ſtipulationem civilem eſſe negat, quòd conventiones cum cauſſa jurisgent. hic eſſe perhibeantur! & Fornerius nihilomeliùs planè contractus naturam ſtipulationi deneget.

IX.

Ex quibus evincitur, nos in eo contractum à pacto nudo discernere; quòd is caussam habeat, non hoc: Eamque contractus formam esse, quam certam dari non posse, malè Cujac. astruit! & hanc caussam, cur mutuum, stipulatio, & aliæ similes species, propriè ac verè contractus sint, dari contra Cujacium; non aliam ex L. 19. de V.S. desumtam: In qua ne cogitasse quidem de contractus definitione, vel Labeonem vel Vlp. credo! adeóque frustrà laborasse censeo, in definitione, quæ non est, salvandâ, præter alios Guibert. Costan. & aliter alium eruditum quendam hominem.

X.

Pacta igitur jurisgent. ut dictũ est, vel caussam habent; i.e. contractus sunt: vel non habent, id est, manent pacta. Contractus præter caussam nonnunquam nomen habent, nonnunquam non habent. Nomen qui habent, re constant, vel verbis, vel literis, vel consensu. Innominati sunt isti: DO ut DES, DO ut facias, Facio ut des, Facio ut facias. Non tamen hi soli, quod Iáson contendit. Quorsum enim permutationem? nisi dicas, hanc, cùm do ut dés, eandem esse, quod nobis cum Ant. Fabro sat videtur improbabile. Quorsum æstimatorium? Quæ verò caussam non habent, multa sunt, ac secundum casus infinita.

XI.

Atq; hæc quàm alia aliorum confuſa conventionum diſtinctio, mihi multò videtur ad textus accommodatior: forſan & aliis. Certè non ipſis. Quibus credam, & id diſplicebit, ſi in eo ab ipſis diſſentiam, quando contractus innominatos tales ideo dici diſputant, quòd ſint antiquiſſimi primi! ſi modò rationem in permutatione poſitam generalem cupiant.

XII.

Quæris, quid nominatos contractus ab innominatis diſcernat? Reſpondebo: Non pœnitentia; neque quòd ex his, quamprimùm in eſſe producti fuerint, detur actio, ex illis non niſi ſecuto implemento, ceu DD. in id eunt: ſed hinc, quòd nominati præter genus aliud nomen ſpecialiter aſſumunt ſibi, certóſque ac determinatos fines habent: Quas notas ubi conjunctim conſideramus, tantum abeſt, ut opprimat jure Coraſ. ut ne preſſerit quidem, quemadmooum poſt Bartolum notas iſtas novè & Gœddæus agnovit & defendit.

XIII.

Sed & effectu diſcrepant potiſſimùm; Cùm ex nominatis dentur actiones cujuſvis contractus propriæ nominatæ! ex innominatis iiſq; ſolis & ſemper actio præſcriptis verbis

verbis in factum civilis! quam non directam cum Hortensio, sed utilem cum Donello & communi statuimus: & existimamus, excepta, quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit, aliam quamvis stricti juris esse: qua in re non sat felici notâ conjecturam suam signasse F. Hotom. plerisque judicatur! idq; si Justiniani mentem in §. 28. Instit. de act. penitiùs consideres, est verius.

XIV.

SOLIS dico cum Costalio, non ignarus, Transalpinos divortere. SEMPER id ideo subjicio, quo sciri possit neglectis Cujacij traditionibus, Contij, Bartoli, Fulgosij, Corasij, aliorumq; varijs insuper habitis distinctionibus, me nec hic à Donello recedere, & non in contractu saltem, Do ut facias; sed & in isto, Facio ut DES, solam hanc actionem præscriptis verbis admittere; alteram de dolo non attento, sive dolus arguatur, sive non, si ad dandum agatur, rejicere, non etiam, si ad retractandum.

XV.

Ejusque rei præter alia, vel hæc etiam argumenta sumimus ex L. 15. & 22. de præscr. verb. quas de contractu, facio ut des, quicquid cum Cujacio contrà quidam dicant, loqui, nemo sine cavillo negabit: quamvis in

eo casu, si dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumitteres, tu manumisisti, & evictus est Stichus, ut à Donello recedamus nos Paulus cogat, quando dilucidè in sua serie L. 5. de præscr. verb. inter contractum, do ut facias, istum casum refert & recenset.

XVI.

Cæterùm hæc in contractibus ita sunt: in pacto jurisgent. non obtinent. Nam pactum hoc actionem de jure civili non parit, ne judiciale quidem; in eoque contra Jasonem & alios Baldum Roman. rectè secutus est! & nec juratum simpliciter, ut DD. volunt, & ne quidem tacitum, quod Ioan. Crotus cupit: in tantum, ut quoniam ex pacto nudo naturalis non oritur illa, quæ jure civili consideratur obligatio, ne geminatum quidem pactum ad actionem producendum sufficiens sit! quicquid Romulus & Matth. de Matesellis dissentiant.

XVII.

Et hoc sic verum habemus, ut nec Corseto fides haberi debeat, inter nobiles oriri actionem ex nudo pacto, asserenti: neque Petro Calæfato in mercatoribus aliud à regula recipienti: Ut erroneum sit, quod Andreas ab Exea multùm disputat, actionem ex nudo pacto adversus principem dandam esse: item ex pacto nudo Judæorum licet in terris Imperij,

perij, actionem produci: item produci ex salario per pactum advocato promisso, & si quæ sunt similia.

XIIX.

Nam aliàs quoq; sententiam eorum nil improbo, qui ex pacto de Investitura ne ad interesse quidem teneri promittentem exstimant; etsi Rosenthal in hoc ab Alvarotto discedat: Et defendi posse credo contra communem; jure Canonico pactum ad producendam actionem non sufficere, & sic nec actionem præscriptis verbis à Jasone, nec condictionem ex lege sive Canone ab alijs, cùm nulla competat, substituendam fuisse! in quo Fr. Duarenum sequor.


XIX.

Illa tamen regulæ per ἐπανόρθωσιν subjicitur exceptio, quòd pacta contractibus bonæ fid. ex continenti subjecta forment seu pariant actionem; & quòd ex intervallo subsecuta pacta, quæ ex parte tantùm contractum reforment, dummodo tamen re integra facta sint, ad novam actionem producendam sufficiant. Ad quam verò? certè non ad actionem præscriptis verbis, quæ tum demum datur, cùm deficiunt prodita judicia; sed ad actionem ex principali contractu resultantem.

Bonæ-

XX.

Bonæfidei contractibus diximus. An ergo in ſtrictis aliud erit? Id ſanè crux eſt DD. & videas concertatim ipſos in hac pugnâ defatigari. Quòd pacta contractibus ſtricti juris ex parte quidem rei, non actoris, inſint, aut ſi inſint, ex ejus quoque parte tantùm inſint, quoad detrahendum & minuendum, id poſt veteres aliquos propugnant ex neotericis Donell. Cujac. Borcholt: Alij verò communiori calculo ſtatuunt, in hoc caſu bonæf. & ſtricti juris contractus nihil diſtare, quos Baro ſequitur, & vindicat multis novè Ioh. Gœdd. ac, ut noſtrum eſt jam judicium, verè vindicat.



CENTU-



CENTURIA UNA
Propositionum
DE PACTIS,
continens
Notationem, Synonyma, Definitionem, Divisiones, effectus & contraria Pactorum.

Habita in Academiâ Juliâ Helmsteti in auditorio majore 9. Septembr. 601. hor. matut. & Pomerid.

RESPONDENTE

BALTHASARO HOFMAN Siles.

PROPOSITIO I.

PActum à pactione rectè deducitur.

2. Et tamen usu juris perpetuo: & classicorum authorum communi calculo pactum & pactio nihil differunt.

3. Sicut & conventum & conventio, & pactum conventum & pactum & conventum usurpantur indistinctè.

4. Pactum autem & pactum nudum differunt

runt tanquam species & genus: sicut & pactum & contractus.
5. Et depectio, si non semper plerumq; certè sumitur in malam partem.
6. Et pactum justum, nil est aliud, quàm pactum juridicum; non improbatum.
7. Atque promissi vocabulum latius est quàm pacti, stipulationem etiam continens.
8. Et dictum est nudum pronunciatum, quod nudo sermone finitur; secundum illud Agesilai: Si justum est, promisi: si minus, dixi quidem; sed non promisi.
9. Sanè pollicitatio, placitum, conditio, lex, exceptio, epistola, natura suâ non sunt eadem cum pacto; juris tamen usu pro pacto sæpe sumuntur.
10. Quid autem differt à pacto transactio? Resp. quod pactum esse possit gratuitum; & de re non litigiosâ: cum contra transactio ne quidem esse possit.
11. Cæterùm pactum ab Ulpiano rectè definitur sub nomine pactionis duorum pluriumvè in idem placitum consensus.
12. Nec opus, ut fingas figuram endiadis.
13. Nec, ut dicas esse descriptionem.
14. Nec, quod per consensum denotetur nihil, nisi consensus.
15. Dicamus, definitionem converti cum suo definito: non esse latiorem; meritò complecti

plecti contractus. Dicamus, inquam, pactum hic definiri, quatenus & pactum nudum & contractus sub se continet; quemadmodum etiam docuit Panormitanus.

16. Pactum ratione caussæ efficientis, vel juris gentium est, vel legitimum.

17. Nam quod magnus vir scribit, nulla pacta jure legitimo servari: falsum est.

18. Erat enim pactum legitimum vel ipso fatente ex eâ lege: *SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO.*

19. Et item aliud ex aliâ lege: Cujus hæc fuit circiter sententia recensente Fr. Hotom. Uti rei inter se pacti essent, antequam in forum aut comitium venirent, ut ita jus esset.

20. Addunt etiam alij pactum de furto; & agnoscit ipsemet alibi.

21. Et item pactum de injurijs.

22. Addamus nos etiam pactum ex eâ l. *XII.* tab. parte, quâ æris confessi; debitiq; judicatus, ni cum creditore intra 30. dies pacit: 60. dies in vinculis retinetur: & tertijs nundinis capitis pœnas luit &c.

23. Et hæc ex l. *XII.* tab. erant legitima pacta. Plura non observavimus; Et tamen facilè quis nobis persuaderet, fuisse plura.

24. Sed & prætorum edictis pacta quædam sunt confirmata, ut constitutum, & hypotheca.

25. Sunt adhuc aliqua alia legitima pacta, constitutionibus confirmata; ut pactum dotis, donationis, item de usuris frumenti &c.

26. Et item alia, de quibus non omninò constat, ut ait rectè Borch. ex quânam juris parte factum fuerit, quod actiones pariant.

27, Et hæc sunt nuda legitima pacta: Sunt etiam pacta legitima non nuda, veluti contractus, ex quibus verborum & literarum obligatio resultat.

28. Ratione formæ pacta sunt vel nuda, vel non nuda.

29. Doctores communiter faciunt pacta quædam nuda; quædam vestita. Et vestita dicunt aliqua nasci cum vestimento, ut Jobus ait: Pelle & carne vestivit nos Dominus, & tamen cum his natus erat: aliqua verò nasci quidem nuda, habere tamen vestimentum approximatum; sicut unus puer exeundo de utero matris intret unum vestimentum.

30. Et vestimenta pactorum consarcinarunt multifaria, veluti rem, verba, cohærentiam contractus, literas, legis auxilium, executionis principium, juramentum, judicium, favorem militiæ &c.

31. Addunt etiam consensum; & cum tamen animadvertunt, in omnibus pactis consensum inesse; dicunt, consensum esse subtilem

tilem & tenuem vestem: & ideò contractus naturâ suâ calidos, hac tenui veste contentos esse; alias verò conventiones macilentas, duplici pallio opus habere.

32. Hæc ita Dd. Quibus omnem contractuum & pactorum naturam evertunt: & contractus ac legitima pacta cum pactis nudis jurisgentium, confundunt.

33. Deinde consensus, cohærentia contractus, interventus rei, & rei promissæ initium; ne sunt quidem pactorum vestimenta.

34. Et vestitum esse, proprium est hominis adjunctum; quod transfertur quidem à Poëtis ad res inanimatas, montes, gramen &c. sed imperitè transferatur ad conventiones; & cæteras res juridicas.

35. Nolo igitur, ut sic loquaris; ne unâ cum loquendi paritate, veritatem etiam inepto rei vocabulo amittas; ut ait Hugo Donellus.

36. Dicas potius, pacta nuda dici, quod simplicia sint, & sola, sine συναλλάγματι, sine caussâ, sine negocio: non nuda, sive contractus, esse conventiones cum caussâ sive negocio.

37. At Alexander tamen dixit, nullum dari pactum sine aliquâ caussâ. Sed malè.

38. Malè quoq; Cujacius omnia pacta, quæcunq; ea sint, esse nuda.

39. Malè viri doctissimi scribunt, etiam emtionem, locationem, mandatum, & societatem esse nuda pacta.

40. Malè vir eruditissimus pactum donationis legitimum, propterea quod actionem pariat, esse non nudum.

41. Nam legitima pacta non pariunt actionem naturâ suâ, sed propter legem supervenientem.

42. Et quod dicit Vlpianus, nuda pactio obligationem non parit, dicit de pactione juris gentium, ut docet contextus.

43. Et hinc Paulus: Interdum ex pacto actio nascitur; quotiens lege vel SCto adjuvatur.

44. Ratione finis, vel, si mavis, objecti pacta vel in rem sunt vel in personam; vel mixta.

45. In rem; quando generaliter paciscimur sine personæ notatione.

46. In personam; cum alicujus persona nominatim determinata est.

47. Mixta; quæ ex unâ parte sunt in rem; ex alterâ in personam.

48. Vtrum autem pactum in rem sit, vel in personam, est facti quæstio. In dubio tamen reale pactum præsumitur.

49. Ratione subjecti, pacta sunt publica, vel privata.

50. Ra-

50. Ratione adjuncti, pacta sunt, vel expressa, vel tacita; qualia sunt redditio chirographi &c.

51. Ex accidenti pacta quædam sunt simplicia; quædam connexa, sive subjuncta: Subjuncta sunt iterum substantialia vel accidentalia. Et hæc, vel adjicientia, vel detrahentia: atq; subjuncta vel in continenti, vel ex intervallo.

52. Atq; hæ sunt divisiones pactorum juri cognitæ. Doctores commenti sunt adhuc aliam; & pacta faciunt quædam conformantia; quædam deformantia; quædam informantia; quædam reformantia; quædam transformantia. Quibus addidit Berengar. Fernandus pactum resolutivum: destitutus fortassis compositis à verbo formare.

53. Sed variæ Doctorum formationes, nihil aliud sunt, quàm alterationes pactorum: & nescierunt ipsi, quod actionem formare nihil aliud sit, quàm actionem parere.

54. Iam igitur videamus, quamnam vim & efficaciam genera singula pactorum habeant. Nam, quibus & de quibus rebus paciscí liceat, examinabimus disputatione aliâ.

55. Et constat quidem, pacta jurisgentium

39. Malè viri doctiſſimi ſcribunt, etiam emtionem, locationem, mandatum, & ſocietatem eſſe nuda pacta.

40. Malè vir eruditiſſimus pactum donationis legitimum, propterea quod actionem pariat, eſſe non nudum.

41. Nam legitima pacta non pariunt actionem naturâ ſuâ, ſed propter legem ſupervenientem.

42. Et quod dicit Vlpianus, nuda pactio obligationem non parit, dicit de pactione juris gentium, ut docet contextus.

43. Et hinc Paulus: Interdum ex pacto actio naſcitur; quotiens lege vel SCto adjuvatur.

44. Ratione finis, vel, ſi mavis, objecti pacta vel in rem ſunt vel in perſonam; vel mixta.

45. In rem; quando generaliter paciſcimur ſine perſonæ notatione.

46. In perſonam; cum alicujus perſona nominatim determinata eſt.

47. Mixta; quæ ex unâ parte ſunt in rem; ex alterâ in perſonam.

48. Vtrum autem pactum in rem ſit, vel in perſonam, eſt facti quæſtio. In dubio tamen reale pactum præſumitur.

49. Ratione ſubjecti, pacta ſunt publica, vel privata.

50. Ra-

50. Ratione adjuncti, pacta sunt, vel expressa, vel tacita; qualia sunt redditio chirographi &c.

51. Ex accidenti pacta quædam sunt simplicia; quædam connexa, sive subjuncta: Subjuncta sunt iterum substantialia vel accidentalia. Et hæc, vel adjicientia, vel detrahentia: atq; subjuncta vel in continenti, vel ex intervallo.

52. Atq; hæ sunt divisiones pactorum juri cognitæ. Doctores commenti sunt adhuc aliam; & pacta faciunt quædam conformantia; quædam deformantia; quædam informantia; quædam reformantia; quædam transformantia. Quibus addidit Berengar. Fernandus pactum resolutivum: destitutus fortassis compositis à verbo formare.

53. Sed variæ Doctorum formationes, nihil aliud sunt, quàm alterationes pactorum: & nescierunt ipsi, quod actionem formare nihil aliud sit, quàm actionem parere.

54. Iam igitur videamus, quamnam vim & efficaciam genera singula pactorum habeant. Nam, quibus & de quibus rebus paciscì liceat, examinabimus disputatione aliâ.

55. Et constat quidem, pacta jurisgentium

nuda, quæ facta ſunt ad liberandum debitorem, actionem non producere, ſed ſaltem exceptionem.

56. Obligatorium pactum nudum iuris-gentium, quo quid promiſſum, actionem non producit de jure civili.

57. Nec de jure Canonico.

58. Nec producit quidem actionem de jure civili, quamvis ſit judiciale.

59. Et quamvis ſit juratum.

60. Quamvis etiam ſit iteratum ſive geminatum.

61. Multò minus tacitum pactum.

62. Doctores utiq; dicunt, pacta nuda mercatorum actionem producere; nimirum quoniam in curiâ mercatorum judicari debet ex æquo & bono. Sed non video, cur hoc recipiendum ſit, cum id genus hominum in conventionibus plerumq; ſit callìdiſſimum.

63. Dicunt etiam, Principes naturali vinculo non aliter teneri, quàm civilis obligatio vincit privatos.

64. Et item inter nobiles oriri actionem ex pacto.

65. Item ex pacto Iudæorum.

66. Et addunt adhuc alia. Quæ tamen omnia non tàm authoritate juris, quàm gl. & Dd. nituntur.

67. Sanè apud nos in Germania datur hodie ex nudo pacto actio; Sed hoc tamen fit magis ex confirmatione consuetudinis, quàm ex naturâ pactorum.

68. Illud valdè controversum est, an ex pacto nudo jurisgentium de jure civili naturalis producatur obligatio? Et aliquando vel in hac illustri Iuliâ negabamus, cum Connano & Barone. Nunc contrarium defendemus, imò produci cum Donello, Cujacio, Borcholto & alijs.

69. Et naturalem obligationem intelligemus non Philosophicam aliquam, & morali modo vinculum: sed eam, quæ est æquitatis vinculum, quo adstringimur necessitate alicujus rei solvendæ: ut tamen eo nomine nulla sit actio jure civili.

70. Nimirum intelligemus eam, cujus effectus sunt, Soluti retentio; Compensatio; Constitutum; Fidejussor; Pignus; Novatio.

71. Licet autem nudum pactum obligationem efficacem non producat: subjunctum tamen bonæ fidei contractibus parit actionem.

72. At quámnam an præscriptis verbis; an ex contractu principali? Et fuit quidem olim inter Proculianos & Sabinianos hac de re dissensio. Sed primùm tamen Antoni-

nus; deinceps Alexander etiam Sabinianorum ſententiam comprobavit, nimirum ut ex contractu principali competeret actio.

73. Sed an pacta ſtricti juris contractibus in continenti ſubjecta, pariant actionem? difficilis eſt quæſtio. Et verius eſt, ut pariant.

74. Cæterùm pacta ex intervallo contractibus apposita, inſunt tantum ex parte rei; niſi forte re integra convenerit de eo, quod ad ſubſtantiam contractus pertineat.

75. Pacta legitima, licet ſint nuda, nihilominus actionem pariunt.

76. Pacta non nuda & contractus, ſive ſint jurisgentium, ſive juris civilis, ſemper pariunt actionem.

77. At quamnam? Reſp. Contractus nominati actionem nomini ſuo conformem: Contractus innominati actionem præſcriptis verbis.

78. Hæc de pactis nudis & non nudis jurisgent. & juris civilis. Pacta perſonalia perſonam paciſcentis non egrediuntur.

79. Pacta verò in rem omnibus proſunt, quorum intereſt.

80. Atq; cenſent aliqui, etiam perſonale debitoris pactum ex noviſſima Iuſtiniani conſtitutione fidejuſſori prodeſſe.

81. Et impedit etiam pactum de non petendo, quo minus mora committatur.

82. Ejus tamen efficaciæ pacta non ſunt, ut ijs tolli poſſit differentia inter actiones bonæ fidei, ſtrictasq́;.

83. Quæritur etiam, adverſus quem interpretatio facienda ſit obſcuri pacti? Cujacius reſpondet adverſus venditorem & locatorem.

84. Nos dicamus etiam adverſus emtorem & conductorem; nimirum adverſus eum, qui locutus eſt ambiguè, & adverſus authorem obſcuri pacti.

85. Porrò nihil conſenſui tàm contrarium eſt, quàm dolus, error, metus & ſimilia.

86. Quis igitur mirabitur, quod his modis pacta diſſolvantur?

87. Nam & contractus, cui dolus cauſſam dedit, ſi ſit bonæ fidei, fiet ipſo jure nullus.

88. Et eſt etiam elegans ratio; quoniam iſtorum contractuum, fundamentum & baſis eſt bona fides, exuberans magis, quàm in ſtrictis.

89. Quamvis enim contrahentes ſe poſſint in emtionis & locationis precio circumvenire: poſſunt tamen hoc naturaliter.

90. Naturaliter, non juregentium, ut in-

terpretantur Galli: ſed ex naturâ & ſecundum ſubſtantiam contractus, quemadmodum docent rectiùs Hiſpani.

91. Et toleratur etiam hæc circumventio, ſi facto contingat, ſine fraude, ſine dolo contrahentium.

92. Et eſt circumventioni meta præſcripta.

93. Et poſſit illud intelligi de dolo, qui non dedit cauſam.

94. Contraria ſimiliter pacto, ſunt vicia, quæ in materiâ hærent, ut ait VVeſenbec.

95. Tolluntur etiam pacta contrarijs pactis; nonnunquam ipſo jure; nonnunquam exceptionis ope.

96. Nam ſi ſit pactum non nudum, quod obligationem civilem producit, per pactum nudum tolli non poteſt, niſi ope exceptionis, quemadmodum adverſ9 Ravenn. & Zaſ. docet Bellonus.

97. Quid autem, an tollatur prius pactum ne petat, per poſterius ut petat ipſo jure, an ope exceptionis? Diſtinguunt inter pactum de non petendo; & petendo; & aliter alij.

98. Ego dixero, nonnunquam ipſo jure non elidi; nonnunquam elidi: Tùm non elidi, ſi præceſſerit efficax obligatio.

99. Aliud eſt in ſtipulatione

refert, an ad contractum adjiciatur, an per se stet. Semper enim actionem parit.

100. Et huc pertinet, quod ait IC. Paulus: In stipulationibus jus continetur: In pactis factum versatur.

Alia disputatione videbimus, quibus & de quibus rebus liceat pacisci.



CENTURIA SECUNDA.

Propositionum

DE PACTIS.

Quâ disputatur

Quibus, & de quibus rebus pacisci liceat.

Ibidem publicè habita 16. Septemb.

DCI. hor. matut. & Pomerid.

RESPONDENTE

LAURENTIO VOLCCIO

Martisburg. Misnico.

PROPOSITIO I.

DIsquiram[illegible] qui pacisc[illegible] [illegible]ssint; & de quib[illegible]
[illegible] [illegible]aci[illegible] [illegible]ræsentes &
[illegible] absen-

terpretantur Galli: sed ex naturâ & secundum substantiam contractus, quemadmodum docent rectiùs Hispani.

91. Et toleratur etiam hæc circumventio, si facto contingat, sine fraude, sine dolo contrahentium.

92. Et est circumventioni meta præscripta.

93. Et possit illud intelligi de dolo, qui non dedit causam.

94. Contraria similiter pacto, sunt vicia, quæ in materià hærent, ut ait VVesenbec.

95. Tolluntur etiam pacta contrarijs pactis; nonnunquam ipso jure; nonnunquam exceptionis ope.

96. Nam si sit pactum non nudum, quod obligationem civilem producit, per pactum nudum tolli non potest, nisi ope exceptionis, quemadmodum adversꝰ Ravenn. & Zas. docet Bellonus.

97. Quid autem, an tollatur prius pactum ne petat, per posterius ut petat ipso jure, an ope exceptionis? Distinguunt inter pactum de non petendo; & petendo; & aliter alij.

98. Ego dixero, nonnunquam ipso jure non elidi; nonnunquam elidi: Tùm non elidi, si præcesserit efficax obligatio.

99. Aliud est in stipulatione. Nam ibi non refert,

refert, an ad contractum adjiciatur, an per se stet. Semper enim actionem parit.

100. Et huc pertinet, quod ait IC. Paulus: In stipulationibus jus continetur: In pactis factum versatur.

Alia disputatione videbimus, quibus & de quibus rebus liceat pacisci.



CENTURIA SECUNDA.

Propositionum

DE PACTIS.

Quâ disputatur

Quibus, & de quibus rebus pacisci liceat.

Ibidem publicè habita 16. Septemb.

DCI. hor. matut. & Pomerid.

RESPONDENTE

LAURENTIO VOLCCIO

Martisburg. Misnico.

PROPOSITIO I.

Disquiramus, qui pacisci possint; & de quibus rebus,

2. Et constat, pacisci posse præsentes & absen-

absentes; loquentes & tacitè consentientes.
3. Atq; adeò omnes, quibus non est prohibitum.
4. Prohibentur autem pacisci quidam naturâ, quidam lege.
5. Naturâ, qui consentire nequeunt, vel ob defectum ætatis, ob defectum animi.
6. Ob defectum ætatis pacisci nequeunt infantes.
7. Infantes autem dicuntur, qui sunt septennio minores.
8. Propter defectum animi prohibetur pacisci furiosus.
9. Si tamen intervalla habeat, & eo tempore pactus fuerit, quo sanus erat, valebit pactum.
10. Eadem de causâ pacisci nequeunt mente capti.
11. Et referunt hûc etiam ebrium.
12. Lege prohibentur, quidam ob consensus imperfectionem; quidam ob malos mores.
13. Ob consensus imperfectionem pacisci nequeunt pupilli ab re suâ sine tutoris authoritate.
14. Nam ne naturaliter quidem possunt obligari sine tutoris consensu, si non locupletiores facti, vel in alienâ re dolosè versati fuerint.

15. Ad-

15. Adeò ut hoc caſu ne quidem opus ſit reſtitutionis auxilio.

16. Hoc autem ipſo, quo non eſt pauperior factus pupillus, locupletior eſt.

17. Etſi verò pupillus contractibus citra tutoris authoritatem initis, quibus conditionem ſuam deteriorem facit, omninò non obligetur: ratione tamen tertij ſcil. fidejuſſoris obligari creditur, etiamſi non fuerit factus locupletior.

18. Sicut etiam ſine tutoris authoritate obligatur; ubi ex re actio venit.

19. Sic etiam puberes minores, licet cum conſenſu curatorum, & ſine conſenſu quoq; curatorum, in rem ſuam paciſci poſſint: ab re tamen ſua, ſine conſenſu curatorum utrum id facere queant? ambigitur.

20. Et facilius quidem concedent, naturaliter obligari poſſe, proinde poſſe quoque paciſci.

21. Sed utrum puberes minores ſine curatorum, quos habent, conſenſu, tùm etiam obligentur, ſi fiat ipſorum conditio ex obligatione deterior? Neg.

22. Nam & bona ab ipſis adminiſtrari nequeunt.

23. Et hoc fine curatores puberibus dantur, ut cum per ætatem negocia ſua curare nequeant, alij ea curent.

24. Quis

24. Quis autem tenetur probare, si sit conditio minoris melior, vel deterior facta? Resp. minor tenetur læsionem probare.

25. Ob malos mores pacisci nequeunt, ab re suâ, prodigi: possunt tamen in rem suam.

26. Dices, Quis est prodigus? Resp. Prodigus non censebitur, nisi qui magistratus decreto declaratur.

27. CÆTERUM hoc etiam requiritur, ut quilibet sibi paciscatur, non alteri.

28. Nisi forsan servus vel filiusfam. pactus sit, ne à patre dominóve petatur.

29. Tum enim patri per exceptionem pacti; domino per exceptionem doli succurritur.

30. Pactum tamen filij, Ne petat, patri non obstat.

31. Sed si pater filio, vel alius alicui paciscatur ut heredi, Ne à se petatur, valet pactũ.

32. Dico UT HEREDI. Nam si simpliciter paciscatur pater, ne à filio petatur, non prodest filio: etiamsi postea heres patri extiterit, sed datur exceptio doli.

33. Sed & tutores pupillis pacisci possunt, nonnunquam ut exceptio pacti competat; nonnunquam ut exceptio doli.

34. Quid; nocebitne pactum etiam tutoris pupillo? Negant doctissimi viri. Sed nos cum alijs affirmamus.

35. Est

35. Est enim permissum tutori, transigere. Transactio verò est pactum.

36. Deinde tutori solvi potest pupilli nomine. Cur igitur pupillis pacto suo tutores nocere nequeant?

37. Sic etiam procurator meus pacisci potest, ne à me petatur.

38. Quinimò si mandavi, potest etiam pacisci, ne ego petam.

39. Quid autem, si ne quidem hoc mandavi? Distinguo cum Dd. inter procuratorem generalem *cum liberâ*, & procuratorem generalem *sine liberâ*.

40. Tandem, quod dicitur alterum alteri pacisci non posse; verum est in extraneo.

41. Quid enim, si duo conjuncti sint in eâdem obligatione, an unius pactum alteri proderit? Et proderit utique, si sit pactum reale.

42. *Videamus etiam*, de quibus rebus pacisci liceat. Et quidem licet pacisci de rebus privatis omnibus.

43. Nec interest, sive sint res incorporales, sive corporales. Nam & de servitutibus licet pacisci.

44. Nec refert, sive sint res jam præsentes, sive futuræ. Sic enim spes futuræ perceptionis pacto potest remitti.

45. Et feudalis consuetudo ne quidem ludicras

39. Malè viri doctissimi scribunt, etiam emtionem, locationem, mandatum, & societatem esse nuda pacta.

40. Malè vir eruditissimus pactum donationis legitimum, propterea quod actionem pariat, esse non nudum.

41. Nam legitima pacta non pariunt actionem naturâ suâ, sed propter legem supervenientem.

42. Et quod dicit Vlpianus, nuda pactio obligationem non parit, dicit de pactione juris gentium, ut docet contextus.

43. Et hinc Paulus: Interdum ex pacto actio nascitur; quotiens lege vel SCto adjuvatur.

44. Ratione finis, vel, si mavis, objecti pacta vel in rem sunt vel in personam; vel mixta.

45. In rem; quando generaliter paciscimur sine personæ notatione.

46. In personam; cum alicujus persona nominatim determinata est.

47. Mixta; quæ ex unâ parte sunt in rem; ex altera in personam.

48. Vtrum autem pactum in rem sit, vel in personam, est facti quæstio. In dubio tamen reale pactum præsumitur.

49. Ratione subjecti, pacta sunt publica, vel privata.

o. Ratione adjuncti, pacta ſunt, vel ex-reſſa,vel tacita; qualia ſunt redditio chiro-raphi &c.

ı. Ex accidenti pacta quædam ſunt ſimpli-ia; quædam connexa, ſive ſubjuncta: Sub-ıncta ſunt iterum ſubſtantialia vel acciden-ılia. Et hæc,vel adjicientia, vel detrahen-a: atq; ſubjuncta vel in continenti, vel ex ıtervallo.

:. Atq; hæ ſunt diviſiones pactorum juri ɔgnitæ. Doctores commenti ſunt adhuc a-am; & pacta faciunt quædam conforman-a; quædam deformantia; quædam infor-ıantia; quædam reformantia; quædam ansformantia. Quibus addidit Beren-ar. Fernandus pactum reſolutivum: eſtitutus fortaſſis compoſitis à verbo for-ıare.

;. Sed variæ Doctorum formationes, ni-il aliud ſunt, quàm alterationes pactorum: neſcierunt ipſi, quod actionem formare ihil aliud ſit,quàm actionem parere.

ⱶ. Iam igitur videamus, quamnam vim efficaciam genera ſingula pactorum habe-ıt. Nam, quibus & de quibus rebus pa-ſci liceat, examinabimus diſputatione a-à.

. Et conſtat quidem, pacta jurisgentium

G 2 nuda,

nuda, quæ facta sunt ad liberandum debitorem, actionem non producere, sed saltem exceptionem.

56. Obligatorium pactum nudum juris gentium, quo quid promissum, actionem non producit de jure civili.

57. Nec de jure Canonico.

58. Nec producit quidem actionem de jure civili, quamvis sit judiciale.

59. Et quamvis sit juratum.

60. Quamvis etiam sit iteratum sive geminatum.

61. Multò minus tacitum pactum.

62. Doctores utiq; dicunt, pacta nuda mercatorum actionem producere; nimirum quoniam in curiâ mercatorum judicari debet ex æquo & bono. Sed non video, cur hoc recipiendum sit, cum id genus hominum in conventionibus plerumq; sit callidissimum.

63. Dicunt etiam, Principes naturali vinculo non aliter teneri, quàm civilis obligatio vincit privatos.

64. Et item inter nobiles oriri actionem ex pacto.

65. Item ex pacto Iudæorum.

66. Et addunt adhuc alia. Quæ tamen omnia non tàm authoritate juris, quàm gl. & Dd. nituntur.

67. Sa-

67. Sanè apud nos in Germania datur hodie ex nudo pacto actio; Sed hoc tamen fit magis ex confirmatione consuetudinis, quàm ex naturâ pactorum.

68. Illud valdè controversum est, an ex pacto nudo jurisgentium de jure civili naturalis producatur obligatio? Et aliquando vel in hac illustri Iuliâ negabamus, cum Connano & Barone. Nunc contrarium defendemus, imò produci cum Donello, Cujacio, Borcholto & alijs.

69. Et naturalem obligationem intelligemus non Philosophicam aliquam, & morali modo vinculum: sed eam, quæ est æquitatis vinculum, quo adstringimur necessitate alicujus rei solvendæ: ut tamen eo nomine nulla sit actio jure civili.

70. Nimirum intelligemus eam, cujus effectus sunt, Soluti retentio; Compensatio; Constitutum; Fidejussor; Pignus; Novatio.

71. Licet autem nudum pactum obligationem efficacem non producat: subjunctum tamen bonæ fidei contractibus parit actionem.

72. At quámnam an præscriptis verbis; an ex contractu principali? Et fuit quidem olim inter Proculianos & Sabinianos hac de re dissensio. Sed primùm tamen Antoni-

nus; deinceps Alexander etiam Sabinianorum ſententiam comprobavit, nimirum ut ex contractu principali competeret actio.

73. Sed an pacta ſtricti juris contractibus in continenti ſubjecta, pariant actionem? difficilis eſt quæſtio. Et verius eſt, ut pariant.

74. Cæterùm pacta ex intervallo contractibus apposita, inſunt tantum ex parte rei; niſi forte re integra convenerit de eo, quod ad ſubſtantiam contractus pertineat.

75. Pacta legitima, licet ſint nuda, nihilominus actionem pariunt.

76. Pacta non nuda & contractus, ſive ſint jurisgentium, ſive juris civilis, ſemper pariunt actionem.

77. At quamnam? Reſp. Contractus nominati actionem nomini ſuo conformem: Contractus innominati actionem præſcriptis verbis.

78. Hæc de pactis nudis & non nudis jurisgent. & juris civilis. Pacta perſonalia perſonam paciſcentis non egrediuntur.

79. Pacta verò in rem omnibus proſunt, quorum intereſt.

80. Atq; cenſent aliqui, etiam perſonale debitoris pactum ex noviſſima Iuſtiniani conſtitutione fidejuſſori prodeſſe.

81. Et

81. Et impedit etiam pactum de non petendo, quo minus mora committatur.

82. Ejus tamen efficaciæ pacta non ſunt,ut ijs tolli poſſit differentia inter actiones bonæ fidei,ſtrictasq;.

83. Quæritur etiam, adverſus quem interpretatio facienda ſit obſcuri pacti? Cujacius reſpondet adverſus venditorem & locatorem.

84. Nos dicamus etiam adverſus emtorem & conductorem; nimirum adverſus eum, qui locutus eſt ambiguè, & adverſus authorem obſcuri pacti.

85. Porrò nihil conſenſui tàm contrarium eſt,quàm dolus,error,metus & ſimilia.

86. Quis igitur mirabitur, quod his modis pacta diſſolvantur?

87. Nam & contractus, cui dolus cauſſam dedit, ſi ſit bonæ fidei, fiet ipſo jure nullus.

88. Et eſt etiam elegans ratio; quoniam iſtorum contractuum, fundamentum & baſis eſt bona fides,exuberans magis, quàm in ſtrictis.

89. Quamvis enim contrahentes ſe poſſint in emtionis & locationis precio circumvenire:poſſunt tamen hoc naturaliter.

90. Naturaliter, non juregentium, ut interpre-

terpretantur Galli: ſed ex naturâ & ſecundum ſubſtantiam contractus, quemadmodum docent rectiùs Hiſpani.

91. Et toleratur etiam hæc circumventio, ſi facto contingat, ſine fraude, ſine dolo contrahentium.

92. Et eſt circumventioni meta præſcripta.

93. Et poſſit illud intelligi de dolo, qui non dedit cauſam.

94. Contraria ſimiliter pacto, ſunt vicia, quæ in materiâ hærent, ut ait VVeſenbec.

95. Tolluntur etiam pacta contrarijs pactis; nonnunquam ipſo jure; nonnunquam exceptionis ope.

96. Nam ſi ſit pactum non nudum, quod obligationem civilem producit, per pactum nudum tolli non poteſt, niſi ope exceptionis, quemadmodum adverſ9 Ravenn. & Zaſ. docet Bellonus.

97. Quid autem, an tollatur prius pactum ne petat, per poſterius ut petat ipſo jure, an ope exceptionis? Diſtinguunt inter pactum de non petendo; & petendo; & aliter alij.

98. Ego dixero, nonnunquam ipſo jure non elidi; nonnunquam elidi: Tùm non elidi, ſi præceſſerit efficax obligatio.

99. Aliud eſt in ſtipulatione. Nam ibi non refert,

refert, an ad contractum adjiciatur, an per se stet. Semper enim actionem parit.

100. Et huc pertinet, quod ait IC. Paulus: In stipulationibus jus continetur: In pactis factum versatur.

Alia disputatione videbimus, quibus & de quibus rebus liceat pacisci.



CENTURIA SECUNDA.

Propositionum

DE PACTIS.

Quâ disputatur

Quibus, & de quibus rebus pacisci liceat.

Ibidem publicè habita 16. Septemb.

DCI. hor. matut. & Pomerid.

RESPONDENTE

LAURENTIO VOLCCIO

Martisburg. Misnico.

PROPOSITIO I.

DIsquiramus, qui pacisci possint; & de quibus rebus,

2. Et constat, pacisci posse præsentes & absen-

absentes; loquentes & tacitè consentientes.

3. Atq; adeò omnes, quibus non est prohibitum.

4. Prohibentur autem pacisci quidam naturâ, quidam lege.

5. Naturâ, qui consentire nequeunt, vel ob defectum ætatis, ob defectum animi.

6. Ob defectum ætatis pacisci nequeunt infantes.

7. Infantes autem dicuntur, qui sunt septennio minores.

8. Propter defectum animi prohibetur pacisci furiosus.

9. Si tamen intervalla habeat, & eo tempore pactus fuerit, quo sanus erat, valebit pactum.

10. Eadem de causâ pacisci nequeunt mente capti.

11. Et referunt hûc etiam ebrium.

12. Lege prohibentur, quidam ob consensus imperfectionem; quidam ob malos mores.

13. Ob consensus imperfectionem pacisci nequeunt pupilli ab re suâ sine tutoris authoritate.

14. Nam ne naturaliter quidem possunt obligari sine tutoris consensu, si non locupletiores facti, vel in alienâ re dolosè versati fuerint.

15. Adeò ut hoc casu ne quidem opus sit restitutionis auxilio.

16. Hoc autem ipso, quo non est pauperior factus pupillus, locupletior est.

17. Etsi verò pupillus contractibus citra tutoris authoritatem initis, quibus conditionem suam deteriorem facit, omninò non obligetur: ratione tamen tertij scil. fidejussoris obligari creditur, etiamsi non fuerit factus locupletior.

18. Sicut etiam sine tutoris authoritate obligatur; ubi ex re actio venit.

19. Sic etiam puberes minores, licet cum consensu curatorum, & sine consensu quoq; curatorum, in rem suam pacisci possint: ab re tamen suà, sine consensu curatorum utrum id facere queant? ambigitur.

20. Et facilius quidem concedent, naturaliter obligari posse, proinde posse quoque pacisci.

21. Sed utrum puberes minores sine curatorum, quos habent, consensu, tùm etiam obligentur, si fiat ipsorum conditio ex obligatione deterior? Neg.

22. Nam & bona ab ipsis administrari nequeunt.

23. Et hoc fine curatores puberibus dantur, ut cum per ætatem negocia sua curare nequeant, alij ea curent.

24. Quis

24. Quis autem tenetur probare, si sit conditio minoris melior, vel deterior facta? Resp. minor tenetur læsionem probare.

25. Ob malos mores pacisci nequeunt, ab re suâ, prodigi: possunt tamen in rem suam.

26. Dices, Quis est prodigus? Resp. Prodigus non censebitur, nisi qui magistratus decreto declaratur.

27. CÆTERUM hoc etiam requiritur, ut quilibet sibi paciscatur, non alteri.

28. Nisi forsan servus vel filiusfam. pactus sit, ne à patre dominóve petatur.

29. Tum enim patri per exceptionem pacti; domino per exceptionem doli succurritur.

30. Pactum tamen filij, Ne petat, patri non obstat.

31. Sed si pater filio, vel alius alicui paciscatur ut heredi, Ne à se petatur, valet pactũ.

32. Dico UT HEREDI. Nam si simpliciter paciscatur pater, ne à filio petatur, non prodest filio: etiamsi postea heres patri extiterit, sed datur exceptio doli.

33. Sed & tutores pupillis pacisci possunt, nonnunquam ut exceptio pacti competat; nonnunquam ut exceptio doli.

34. Quid; nocebitne pactum etiam tutoris pupillo? Negant doctissimi viri. Sed nos cum alijs affirmamus.

35. Est

35. Est enim permissum tutori, transigere. Transactio verò est pactum.
36. Deinde tutori solvi potest pupilli nomine. Cur igitur pupillis pacto suo tutores nocere nequeant?
37. Sic etiam procurator meus pacisci potest, ne à me petatur.
38. Quinimò si mandavi, potest etiam pacisci, ne ego petam.
39. Quid autem, si ne quidem hoc mandavi? Distinguo cum Dd. inter procuratorem generalem *cum liberâ*, & procuratorem generalem *sine liberâ*.
40. Tandem, quod dicitur alterum alteri pacisci non posse; verum est in extraneo.
41. Quid enim, si duo conjuncti sint in eâdem obligatione, an unius pactum alteri proderit? Et proderit utique, si sit pactum reale.
42. *Videamus etiam*, de quibus rebus pacisci liceat. Et quidem licet pacisci de rebus privatis omnibus.
43. Nec interest, sive sint res incorporales, sive corporales. Nam & de servitutibus licet pacisci.
44. Nec refert, sive sint res jam præsentes, sive futuræ. Sic enim spes futuræ perceptionis pacto potest remitti.
45. Et feudalis consuetudo ne quidem ludicras

dicras pactiones nauſeat; veluti, canere certo die cantilenam &c.

46. *Videamus modò*, de quibus rebus paciſci non liceat. Et nequaquam quidem de rebus non extituris paciſci licet.

47. Nec etiam valent pacta de rebus privatis alienis, ſi jus aliorum lædatur.

48. Sicut nec valent pacta de rebus impoſſibilibus.

49. De publicis rebus non licet privatis paciſci. Nam ſi pactum à re privatâ remotum ſit, non eſt ſervandum.

50. Sic non licet paciſci, ne de adulterio agatur, cum tamen aliàs cuivis ſanguinem ſuum qualiter qualiter redimere liceat.

51. Sic de publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, nec licet paciſci.

52. Sic non licet paciſci de hereditate futurâ. Hereditas enim pactis deferri nequit.

53. Idq; tùm etiam, ſi non hereditas tota, ſed pars bonorum in pactum deducatur, ut contra Burſatum cum Alciato docet Fachineus.

54. Qui cenſet adhuc pactum non valere, ſi promiſſoris heredem obliget.

55. Et tùm etiam non valere, ſi pactũ de futurâ ſucceſſione ſit reciprocũ inter privatos.

56. Imò ne quidem valere, quamvis in contractu matrimoniali fuerit adjunctum.

57. Quin

7. Quin imò etiam filia, quæ dotem acceperit, & deinceps hereditati paternæ pacto renunciarit, nihilominus succedere poterit; ut ita pactum sit nullius momenti.

8. Et nec de jure Canonico renunciare firmiter potest, nisi renunciationem suam juramento confirmet.

9. Et hæc, si filia dotem acceperit. Quid autem si dotem non acceperit, sed gratis renunciaverit? Idem esse tradit Fachin.

50. Quid autem, an illa renunciatio matris præjudicet nepotibus? Et verior est sententia, non præjudicare.

51. An autem pactum de succedendo juramento possit confirmari jure Can? Resp. Nequaquam.

52. Sanè mortuo patre potest filius cum alijs heredibus paternis super querela inofficiosi testamenti pacisci.

53. Sicut & consuetudine vel statuto fieri potest, ut tale pactum de successione futurâ valeat.

54. Sunt enim pacta successoria contra bonos mores quidem juris civilis: non tamen contra bonos mores juris divini, quemadmodũ tradit pater & Senior noster Forsterus.

55. Sic etiam moribus feudalibus pactum domini, cum tertio quodam, vivente vasallo, initum, sub hac conditione, si feudum ad dominum revertatur, valere rectè putant.

66. Sic etiam pactum, inter agnatos vivo Vasallo factum de divisione feudi, valere; receptum est.
67. Sed an conveniri vivo testatore possit, ne heres Falcidiâ utatur? Et constitutum est, ne possit.
68. Post mortem tamen testatoris facta conventio, ne heres Falcidiâ utatur, valet.
69. Sic non valet pactio de quota litis.
70. Licet de honorario procuratorum, & advocatorum, rectè pactiones fiant.
71. Sunt etiam irrita pacta, quibus jus agnationis repudiat; & quæ ad delinquendum invitant &c.
72. Sed an liceat de alimentis futuris testamento relictis pacisci? videbimus.
73. Sed an valeat pactum retrovenditionis, quo facultas revendendi in arbitrium emptoris confertur? Quidni.
74. Nam & venditor pacisci potest, ut sibi liceat reemere.
75. Nolim tamen ex pacto retrovenditionis rei vindicationem dare; sed malim agere actione personali.
76. Nam contra naturam obligationum est, producere realem actionem.
77. Videamus etiam, quando possit huic pacto præscribi? Et dicerem, planè non posse præscribi.

78. An valeat antichreſeos pactum? Affirm. quoad jus civile. Negam. quoad jus Canonicum.

79. Sed an moribus ſuſtineri poterit? Puto ſuſtineri poſſe, ſi non nimium uſurarum legitimum modum excedat.

80. Idq; propter incertum eventum fructuum; & propter inconſtantiam precij.

81. Vtrum pactum valeat, ut ad heredes tranſeat ſocietas? Negam.

82. Nemo namq; poteſt heredi ſuo ſocietatem ſic parere, ut ipſe heres ſit ſocius.

83. Et morte ſocij ſic ſolvitur ſocietas, ut nec ab initio paciſci poſſimus, ut heres ſocietati ſuccedat.

84. Et is, qui ſocietatem contrahit, certam perſonam ſibi eligit.

85. Et nulla ſocietatis in æternum coitio eſt.

86. Quid, valétne pactum nudum prorogationis, quo quis convenit, ut incompetens judex fiat competens? Et plæriq; ſtatuunt, ex eo pacto convenientes non teneri.

87. Sic nemo paciſcendo efficere poteſt, ne ſibi locum ſuum dedicare liceat.

88. Aut ne ſibi in ſuo ſepelire mortuum liceat.

89. Aut ne invito vicino prædium alienet.

90. Et meritò non valent hæc pacta; quoniam minuunt libertatem, quam quis habet in re ſuà.
91. Sanè jure novo videntur hæc tria pacta valere.
92. Et olim etiam, ſi pactum eſſet à creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere, valebat pactum, nimirum propter jus, quod creditor in re habebat.
93. Non valebat pactum, *ut ſervus exportetur.*
94. Nimirum, quoniam hoc pactum durum erat,& aſperum, & inhumanum.
95. An pactum valeat, ut ſequeſtratio locum habeat? Et puto valere,quoad res & bona debitoris.
96. Sed an ipſe debitor hoc caſu ſequeſtrari queat?Neg.
97. Nec enim video certè,quomodo liber homo ſequeſtretur;cum non ſit in commercio,nec ſit res,de qua litigatur.
98. Iam tres regulas obſcuras ſubjicio; 1. Paciſci contra edictum ædilium omnimodò licet.
99. 2. In traditionibus rerum, quodcunq; pactum ſit,valet.
100. 3.Et valet etiam pactum,ut tributa prædij pignori nexi debitor pendat.

LAVS DEO.

DISPU-



DISPUTATIO THEORICO-practica.

De

CITATIONE.

Ad Quam

In Academia VVitebergensi publicè respondit in auditorio Ureconsultorum.

Ad diem 20. Novemb. Anno 1607. hor. matut.

PETRUS Meier Herfordiensis VVestphalus.

THESIS I.

IN jus vocationem ordine faciendi sive usu, priorem fuisse editione statuimus: cùm Iohann. de Blanasco, Raccha, Donello, Petro Pythæo, VVesenbecio, & aliis plerisq; *contra* Ian. Basian. Cujac. Gifan. Vultejum.

2. Citatio sive vocatio est denunciatio, quâ denunciatur alicui, ut apud eum qui vocandi potestatem habet, adsit; & continet, vel invito Roberto, & irrito aliorum conatu, in jus vocationem, & citationem specialiter dictam; tanquam duas distinctas species. Nam aliud erat in jure, aliud in judicio versari.

3. Sanè communi consensu, & Cameræ præjudicio receptum est, ut quod olim in jus

vocare, id hodie ſublato juris & judicij diſcrimine, ſit citare. Vndè cenſent, totum hoc edictum, & legem, de in jus vocando, non videri amplius eſſe magni momenti; & teſtantur, quod in Marchia Brandeburgenſi non ſervetur; itemq; quod exceptione veniæ ſpretâ, Reo nihilominus conteſtatio litis injungatur.

4. Fiebat autem in jus vocatio ad eum, qui jurisdictioni præeſt, juris experiundi causâ. Et in jus vocari poterant omnes, qui non excipiebantur.

5. Excipiebantur alij quidem in totum, ſive planè; alij verò, quod non poterant vocari ſine permiſſu, ſive venia Prætoris. *Planè* vetabantur in jus vocari, Magiſtratus majores regulariter, & Pontifices ſacra facientes, quod Vlpianus de Miſſidicis vix intellexit, ut malè gloſſator opinatur.

6. Sed nec in jus vocare licebat eos, qui propter loci religionem inde *ſe movere*. (Ita omnes libri Mſti & impreſſi; Rævard. mavult legere *ſe moveri*, mutato genere, unoq; verbo, ſed ob id à Cujacio repræhenſus) non poterant; quales fuiſſe Flamines Diales & virgines veſtas Vlpiani tempore, Triboniani verò Monachos & moniales, quàm quod gloſſa dicit, veroſimilius eſt.

7. Non poterant etiam qui equo publico

in

in causâ publicâ transvehebantur. Absit autem hic Accursij de præcone Theobaldo commentum. Nihil etiam hùc facit, quod de censu equestri Hotomannus: neq; quod de transvectione Rullianica Budæus, Duaren. Cujac. & alij somniant. Nec opus ut textum mutemus, & legamus *in capitolium*, vel *in castoris pollucis*, vel *in censu publicè*, contra fidem omnium exemplarium scriptorum & impressorum. Quin potius intelligamus veredos, publicos equos cursuales; ταχυ-δρόμους καὶ δὴ βερέδους dictos & veredarios, quales ferè sunt, quos Postrenter appellamus.

8. Sed & uxorem ducens, aut familiare funus; & viro nubens, justavè faciens (i.e. operationes denicales; non combustiones, ut vult Accurs.) & aliæ quædam personæ nequeunt in jus vocari: quibus vulgò connumerant Doctorandum; quamdiu durat pompa Doctoralis.

9. *Sine jussu Prætoris* in jus vocare fas non erat, omnes eas personas, quibus reverentia necessariò fuit præstanda. Nec igitur liberi emancipati & injusti sine veniâ regulariter poterant in jus vocare parentes, etiam adoptivos, & cujuscunq; sexus, aut gradus. Parentum enim nomine tenentur omnes superiores in infinitum. Sed nec liberti patro-

nos, aut eorum liberos, aut parentes: nisi forte coacti sint jurare, ne uxorem ducant.

10. An autem licitum, novercam in jus sine venia vocare; affirmat post Eman: soareZ. Alciat. & alios, Vultejus: sed nos negativam defendere nitemur.

11. Quid de præceptore statuendum? an in eo locum habeat hoc edictum; quidam cum Duareno negant. alij distinguunt inter realem & verbalem vocationem. Quidam inter actionem civilem & famosam. Nos tuebimur, legis & edicti vigore sine venia Præceptorem in jus vocari non posse.

12. An verò vasallus dominum sine veniâ vocare possit? Quidam interesse putant, an controversia de re feudali sit, an secus. Alij, commiseritnè dominus tale aliquid, quo ipso jure feudo ceciderit; nec ne. Quidam inter Vasallum superioris & inferioris. Quidam indistinctè docent dominum à Vasallo nunquam sine veniâ vocari posse: quidam contra; Quinimò semper posse: quæ opinio Mynsingero teste, Germanorum moribus est comprobata, & in summo Tribunali recepta. Nos opinamur in Theoriâ tutius propugnari sententiam; quod Dominus à vasallo sine venia facilè vocari non debeat.

13. Tenentur autem qui sine veniâ in jus vocant, pænali 50. aureorum judicio: quod anna-

annale eſt, nec heredi, nec in heredem competens. De dolo tamen in eo non quæritur, nec parcitur ruſticitati, & ne quidem principis reſcripto remitti poteſt, licet poſſit à privato.

14. Porrò fiebat in jus vocatio, non ſolum in præſentia viatoris ſeu apparitoris, ſed etiam ab actore ſolo, & vel inſcio magiſtratu: atq; ſi ſequi vocatus nollet, etiam injecta manu, vel, ut loquuntur, obtorto collo: quicquid diſſentiant, Duarenus, Donellus, Robertus.

15. Effectus in jus vocationis, quod vocatus vocantem ſequi teneatur: alias judicis arbitrio mulctatur, ſi dolo malo non venerit; cum ſcilicet deberet, & intelligeret etiam ſe debere.

16. Excuſatur tamen, quando juſtis cauſſis præpeditus, vocantem ilicò ſequi nequit, ſi ſatis dare paratus ſit, judicio ſiſti. Adeò ut is qui fidejuſſorem idoneum ſiſtendi cauſa non acceperit, ſed nihilominus duxerit, injuriarum teneatur.

17. Non debet autem eſſe cotio nihili, ut Plauti vetus illud habet, i.e. cautio nuda, & ut apud Vlpianum aliqui legunt ſola (alij legunt ſolita, alij ſolida) nec ſufficit ut pignoribus caveatur, juxta quoſdam; ſed debet eſſe ſatisdatio; h.e. idonea cautio, quæ fit dato

 fide-

fidejussore, eoq; locuplete, qua facultates, qua facilitatem conveniendi; necessarijs tamen personis exceptis. Tunc enim qualiscunq; fidejussor accipi jubetur, & in eum qui non acceperit, judicium competit aureorum quinquaginta.

18. Quid autem si dubitetur, sitnè fidejussor idoneus? Arbiter constituetur: cujus si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo atq; ab judicibus appellare licebit.

19. Sunt tamen qui fidejussorem dare non cõpelluntur, sed vel nudæ promissioni committuntur; veluti fiscus, & civitas, itemq; Clerici, quibusdam in causis: vel juratæ, ut illustres viri, & alio in loco, quam ubi lis agitatur, immobilia bona possidentes; ut & hi qui propter inopiam fidejussorem reperire non possunt.

20. An autem is, qui eo loco, ubi caussa agitatur, res immobiles sufficientes possidet, nudè promittere, vel juratò debeat? Nos cum communi contra Cujac. & Gifanium statuimus, eum juratoriam cautionem præstare non debere: quod & moribus est receptum.

21. Quid verò num sub hypotheca, vel pignore bonorum omnium, cavere debeat? ita quidem communiter opinantur, & Bartolo teste judicia servant: sed est istud potius glossarum

ſarum commentum, quàm commenticio vetuſtatis jure receptum.

22. Sanè de conſuetudine noſtrorum judiciorum, à Reo, etiam ſi is bona immobilia nulla omninò poſſideat, neq; de judicato ſolvendo, neq; de ſiſtendo cautio exigi ſolet, quemadmodum. Chil. König. Mauſer. Zanger. & alij teſtantur.

23. Alius effectus in jus vocationis, quod ſi vocatus vi eximatur è manu ducentis, pænale judicium in eximentem impedientemvè locum habeat, quo non id continetur, quod revera debetur Actori; ſed quanti ea res ab Actore fuerit in libello petita.

24. Eſt inter alios & hic effectus in jus vocationis, ut ſi dubitetur, an vocans ſit competens, vocatus nihilominus debeat comparere, & incompetentiam allegare.

25. An vero pœnales actiones, poſt in jus vocationem, lite nondum conteſtatâ transmittantur in heredes? Negativam propugnatum ibimus.

26. C I T A T I O eſt ad ipſum qui vocandi poteſtatem habet, in judicium facta vocatio. Eaq; vel judicialis, vel extrajudicialis. Judicialis vel publica, vel privata. Publica fit per edictum, in loco publico per aliquod tempus, juxta judicis arbitrium, affixum, vel per præconis publicè denunciantis proclama:

Quæ utraq; tum demum regulariter locum habere ſolet, cùm aliter aliquis citari nequit.

27. Privata verbalis eſt, aut realis. Verbalis vel voce fit vel ſcripto. Realis manus injectione & præhenſione. Quamvis enim Gifanius & alij quidam ſtatuant, Realem citationem & præhenſionem in jure noſtro nullam eſſe, & inductam à Dd. ex non benè intellecta. l.8. C. Quom. & quand. jud. Nos tamen opinamur, ejus rei veſtigia quædam certa in jure haberi; eamq; delegato principis etiam, non tamen pedaneis judicibus permitti.

28. Fit autem in criminalibus cauſsis regulariter: in civilibus non item. Et quoniam ſeverior eſt, in muliere, infante impubere, Doctore, & milite ex traditis Dd. non habet locum. Quemadmodum nec capi poſſunt, qui ad ſtatuam principis confugiunt, ſi fortuito caſu deliquerunt; ſed nec in nundinis aliquem apprehendere vel carcerare licet, niſi in ijſdem contraxerit, vel receperit ſe ibi ſoluturum.

29. Alia ratione citatio dividitur in ſimplicem & peremtoriam. Ubi quæri poterat. An tria edicta peremtorium præcedere debeant? Quod cum Vultejo contra Robertum negamus.

30. Sanè pro more fori Saxonici Reus ex intervallo quatuordecim dierum ter peremtoriè

toriè citandus. Quod tamen in omnibus Ditionum Saxonicarum judicijs non servatur: Sed in quibusdam, pro tribus illis, una citatio solet usurpari; quæ tamen tantundem temporis spacij contineat, quantum tres illæ. Et ideo in ea dici solet, partes peremtoriè citari; vel comminatio subjici, si citati non comparuerint, nihilominus judicem id facturum, quod jus & justicia postulabit. Hujusmodi namq; comminatio vim habet peremtoriæ citationis, etiamsi verbum illud in ea expressum non sit.

31. Utrum autem tempus, aut terminum in citatione præfixum breviare judex possit? cur non? si justa causa subsit.

32. Absolvitur citatio conceptione, & conceptæ expeditione. In conceptione sex potissimùm requiruntur. Quorum in primò nomen *judicis*; ut sciri posſit, an ejus mandato citatio facta, itemq; an is sit competens, & an ordinarius vel delegatus; itemq; ut citatio salva conservetur.

33. Secundò *nomen citati*. Nam contra non nominatum nõ potest in contumaciam procedi. Idq; verum est etiam quando plures debent citari: Nisi forsitan collegiũ aut Universitas veniat citanda. Tũc enim sufficit collegij, vel Universitatis in genere fieri mentionẽ.

34. Tertiò *nomen actoris*, ut citatus de hoc certior

certior factus deliberare possit, an contendere vel cedere malit, & ut sciat, an citatio per Actorem à judice sit postulata: quo intermisso, nullum sortitur effectum; si non judex ex officio procedat.

35. Quartò *causa ob & ad quam citatur*, ut Reus magis instructus comparere possit. Eaq; in genere exprimi potest. An autem citatus ad certam causam, cogi possit, ut respondeat ad aliam? affirmant Marant. Gail. & alij Dd. comm. Nos negativam defendendam suscipiemus.

36, Quintò, requiritur *expreßio loci*: ut constet Reo, sitne judex fines jurisdictionis suæ transgressus, & ut in loci qualitatem inquirere possit. Quid enim si locus inhonestus sit, aut contagiosus, vel aliàs non tutus? Ordinarius tamen judex, certum tribunal habens, locum adjicere non tenetur.

37. Tandem sextò *terminus quoq; seu dies*, quo comparere debeat, citato præfigi debet, secundum locorum distantias, longus vel brevis. Potest autem citatio decerni die feriato ad non feriatum: sed & ad feriatum; ita tamen ut sequente demum die procedatur. Quid autem si facta fuerit ad diem feriatum, ut eo procedatur. Distinguemus inter ferias solennes, sive festos dies; & alias ferias; puta messis, vindemiarum, atq; nundinarum,

38. Hora

38. Hora tamen quâ Reus comparere debet, ut adjiciatur, necesse non est. Et quanquam apud nos citationes emittãtur, ut citati compareant, post quam illuxit aurora, seu tempore matutino, zu rechter frûer tagezeit: sufficit tamen si compareant post prandium, ultimâ diei parte, vespera propinquâ. Totus enim dies est pro citato: quemadmodum aliquoties obtinuimus judicio contra dicto.
39. Concepta citatio *expeditur* commissione judicis, executione sive intimatione, vel insinuatione citationis, quæ personaliter fieri, vel si copia Rei nequeat haberi, domui affigi, vel civitatis portæ, vel curiæ, vel templo poterit: & relatione nuncij, quâ continetur, quo die citationem insinuaverit, & quid citatus responderit. Et creditur tali jurato nuncio, atq; relatio regulariter ad acta notari sive registrari solet. Quæ si desit pro contumace citatus haud habetur.
40. Debet autem citatio necessariò præscripto modo fieri: adeò ut si partibus enumeratis non usq; quaq; constet, invalida sit, & nulla: nec effectum ullum contumaciæ producat. Nisi fortè citatus ultro compareat. Tunc enim citatio, quæ nulla erat, comparitione convalescit.
41. Effectus citationis, quod si citatus protervè non compareat, in contumaciam ejus proce-

procedatur. Et siquidem Actor qui Reum citari curavit, non compareat, tunc Reus petit, ut ab instantia liberetur, & Actor in expensas, viatica & sumptus litis condemnetur: & nisi refusis expensis, & præstita cautione de lite prosequenda, porrò non admittatur ad agendum.

42. Sin Reus contumax fuerit, proceditur in causa, & agitur ad immissionem in bona, ex primo, & deinde ex secundo judicis decreto, & punitur in expensas retardati processus. Interdum etiam habetur pro confesso; & procedi potest ad sententiam definitivam. Et sunt aliæ rei contumacis pænæ, quarum aliqui 24. recensent.

43. Jure Saxonico, reus contumax factus, pro confesso & convicto habetur: Ideoq; si contumacia ejus accusetur, in eum non aliter, ac si discusso negotio principali, sententia condemnatoria fertur. Citandus tamen prius est, & audiendus, utrum impedimentum & causas absentiæ allegare posit: ideoq; actor hoc petere solet, ut reus cendemnetur in Ehehafft id est ad docendum legitimum impedimentum, soletq; ad hanc petitionem pronunciari das Cläger Beclagten mit seiner Clage vnd Zuspruch biß auff behelffliche wiederrede oder Ehehafft erstanden vnd erlanget hat.

44. Et si post hanc sententiam reus citatus compa-

compareat, & justas absentiæ causas allegare ac docere possit; tum contumacia purgatur: Si verò tum non comparuerit, vel etiam impedimentum allegatum docere non potuerit, tum proceditur ad pænam hujus juris; pronunciaturq́; das Cläger Beclagten mit seiner Clage vnd Zuspruch biß auff die hülffe erstanden vnd erlanget hat: ac mox in eadem sententia, condemnatur in caussa principali, quæ deinceps nisi per appellationem suspendatur, executioni mandatur.

45. In causa vero criminali, casu quo contumax non prodibat legitimis impedimentis, exbannitur vel proscribitur wird auff die Acht vnd Oberacht erclaget vnd erstanden.

46. Nec vero trina citatio requiritur hoc casu, sed sufficit quod citatus sit unico edicto peremtorio, continente tamen intervallum trium quaterdenarum.

47. Quid autem si citatus compareat quidem in primo termino peremtorio, sed exceptionibus dilatorijs usus, recuset litem contestari? non condemnandus in ehehafft / sed ad denuò sub pœna contumaciæ respondendum.

48. Sed nec appellatus absens tanquam contumax est condemnandus, quemadmodum in summo tribunali Elector. Saxoniæ adversus doctrinam Chil. König decisum fuit, teste Colero.

49. Si

49. Si uterq; tàm Actor, quam Reus contumax est; tum terminus circumducitur, & contumacia hinc inde compensatur. Iudex tamen ex officio partes contumaces ad certam mulctam poterit condemnare.

50. Illud hanc disputationem claudat, arduum sanè, difficileq;: Num propter rei non comparentis contumaciam, sequestratio judicialis sit permissa? Affirmant post Panor. & alios, Coras. Coler. Clud. ubi testatur sic in Julia pronunciatum; Negativam acriter propugnat Goed. in tr. de sequestr. c. 1. axiom. 3. Nos distinguemus.

F I N I S.